vobis? ſatagitis, ut placeatis Deo, eique per omnia pœnitentiæ exercitia ſatisfaciatis? Opus eſt ut in ea hoc monſtrum obrepat. Sed hoc illi nondum ſatis eſt; verſutiæ, ac doli ipſius ita imperceptibiles ſunt, ut ſæpe ſocietatem ineat cum virtute, quæ illi eſt infenſiſſima; & crebro accidit, ut qui putat te virtutem humilitatis adeptum fuiſſe, inveniat, ſe laborare ſuperbia. *Auctor Recens*.

Nobis pietatis opera facienda ſunt tantummodo propter Deum.

In actionibus pietatis, atque virtutis, ſatis eſſe debet, quod nos videat Deus, quin hominum plauſus conquiramus, & propriæ conſcientiæ teſtimonium eſt ſatis amplus fructus pœnarum, quibus exercemur in pietate colenda, quin emendicemus mortalium approbationem, quorum adſpectus nihil prodeſt, ſed contra plurimum obeſt, ne in virtute creſcamus. Cur ergo hoc nobis negotium faceſſimus, tantaque cura alienas conſectamur laudes in operibus bonis, quæ a nobis fiunt? Ab uno judicio Dei pendeamus oportet, cum bona opera facimus. Sub oculis illius vivimus, dicebat vetus quidam Philoſophus: *Cui vivendo operam damus; huic nos approbemus*. Quid nobis prodeſſe poteſt virtute præditos ab hominibus æſtimari, ſi Deus contrarium novit? Quid vero nobis poteſt officere judicium hominum, ſi Deus nos reſpicit tamquam ſuos? Hac de cauſa Iſaias Propheta teſtatur, judicium Dei potiſſimum ab illis ſentiendum eſſe, quibus ſatisfacit pulchra ſpecies exterioris pietatis, quin de interiori parte excolenda laborent: *Dies Domini ſuper omne quod viſu pulchrum eſt*. Quemadmodum virtutum noſtrarum merces nobis non eſt ab hominibus expectanda; ita non ſecundum oculos eorum metiri debemus meritum, & veritatem bonorum operum noſtrorum, ſed ſemper ſecundum oculos Dei, qui teſtis eſt irreprehenſibilis, & Judex ſimul, atque remunerator. *P. Grizel*.

Seneca.

Ejuſdem argumenti. *Matth. 5.*

Dei Filius non prohibet omnino, ne opera noſtra bona ab hominibus cognoſcantur, ut ex ipſius verbis innoteſcit. *Sic luceat*, dicit ille, *lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*. Cum hæc ſint opera lucis, dies propter illa factus eſt, non autem nox. Non tenemur ſemper ſecreta loca conquirere, ut faciamus illa; ſed hoc nobis interdictum eſt, ea facere ut ab hominibus videamur, quemadmodum Evangelici hypocritæ faciebant: *Omnia opera ſua faciunt; ut videantur ab hominibus*. Hi ſemper opera bona ſua faciunt, ut ab hominibus videantur, quod palam vetat Salvator, ut eodem in loco profeſſus eſt: *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis*. Non, inquit, ſimpliciter, ne juſtitiam veſtram faciatis, ſed *ne videamini ab eis*, ac inde laudes, & vanitatis occaſionem percipiatis. Hoc eſt locupletiſſimum, ut ita dicam, Dei ærarium diſtrahere, quoniam proprium illius bonum gloria eſt, quam in uſus noſtros convertimus, & actionibus noſtris uſurpare conamur. Quapropter Salvator vult ab hominibus bona hæc opera videri; *ut videant opera veſtra bona; & glorificent Patrem veſtrum*. Ut illi Deo gloriam tribuant, ut videntes a nobis hæc fieri attollant cor ſuum ad Deum, & inde arripiant occaſionem laudes illius concinendi. Hoc præcipue conſiderare debet, qui bona opera exercet. *P. Grizel*.

Matth. 23. *Matth. 6.*

Vanitas, qua ex humanis laudibus inflamur jure comparatur iis rebus, quæ ſunt vaniſſimæ.

Si attente inſpexerimus naturam gloriæ, quam per opera noſtra bona ab hominibus percipimus: facile fatebimur jure vanæ gloriæ nomen illi delatum. Profecto ita fragilis eſt, ut nullam habeat ſubſiſtentiam. Hac de cauſa Sancti Patres confugerunt ad ea, quæ in natura minime omnium perſiſtunt. Ad vanitatem nobis exhibendam uſurpant quidquid nobis vacuum, & inane videtur; ut illius nihilum intelligamus ex iis, quæ vaniſſima eſſe cognoſcimus. Satis eſt dicere illam ab hominum ore pendere, & illam non magis habere corpus, quam verba, nec majorem durationem, quam tempus, quod illa pronunciando impenditur. Quapropter S. Auguſtinus dicit, hominem, qui collocat gaudium ſuum in plauſibus vanis, quos illi conferunt homines, in fundamento fatiſcente ædificare; quia eorum lingua movetur ſemper, & nihil habet firmitatis: humiditas loci, ubi ſita eſt, eam lubricam facit, & minime parem diuturnæ voluptati ſuſtinendæ. *Auctor Recens*.

Humanarum laudum vanitas æquo jure variis lunæ motibus comparatur.

Ut agnoſcamus quid vanitas nos ſperare jubeat ab hominibus, quorum oculis exhibet opera noſtra bona obtutuum, & admirationis moneta penſanda. S. Bernardus teſtatur illam efficere, ut eamdem percipiamus utilitatem, quam Luna a Sole; prout eidem objicitur. Et ſane videmus lumen Lunæ, quia hæc illud a Sole mutuatur, numquam in eodem ſtatu eſſe: *Sed creſcit, decreſcit; extenuatur, annihilatur, & penitus non comparet*. Ita laudes humanas conquirens in mercedem bonorum operum ſuorum, modo magnus eſt, modo parvus, & aliquando nullus, tamquam ſi non eſſet, prout hominum linguis placet eum vel attollere, vel contemnere. *Recen Auctor*.

Superbus conſentire nequit cum ſuperioribus, paribus, inferioribus.

Superbi ſemper injuſti ſunt in ſententiis ſuis; indociles ſunt erga ſuperiores, arrogantes cum paribus, duri erga ſubditos, atque domeſticos. Magnus, quem de ſe ipſis fovent, conceptus, non patitur eos æque ſentire de proximis ſuis. Alienæ perfectiones eos vulnerant, eorumque nomini officiunt; eorum vitia ipſos exhilarant, atque ipſi majora, quam re vera ſint, arbitrantur. Meritum quod præ aliis ſibi ineſſe putant, ciet miſerationem; & illud, quod aſſequi nequeunt, illos exaſperat. Injuſti in oris ſpecie, totoque corporis habitu; prodeant ſatis eſt, ut ſignificent toto in conventu, ſe a nullo æquari. Eorum mores moroſi, & indignabundi ſunt; illorum obtutus ferox, & ſuperbus, putant enim omnia deteriora. Cura, quam habent eorum, quæ in ſe laude digna videri poſſunt, cogunt quodammodo mortales, ut illis ſe præbeant attentos, eiſque cedant honores, de quibus non ſolum contendere, verum etiam quos jure illis negare poſſunt. Injuſti ſunt in ſermonibus ſuis omnia in ſuam utilitatem convertunt; modo impudenter laudes emendicando, modo ſubdole eas coemendo; ſemper parati vel contradicendo, ut ſibi veritatem vindicent, vel exaggerando, ut referant plauſus; vel irridendo, ut aliena deterant merita; oſtentantes ea, quæ illis beneverterunt, conſilia nonnumquam verſute, aliquando etiam ſimpliciter prout varie affecti ſunt, qui illos audiunt, ſed plerumque eo modo, qui laceſſat illos qui virtutibus ſuis eorum nomini officiunt. *P. la Peſſe Tomo 4.*

Superbus ob leviſſimas cauſas iraſcitur.

Superbi vulgo ſunt ſpiritus duri, intractabiles, difficiles. Coram illis ſtudendum eſt ne verbum proferatur, quod eorum lædat opinionem. Læſos putant ob ea quæ libidini ſuæ in favorem ſuum interpretari non placet; cumque minimam habeant rationem gloriæ proximi ſui, videtur illis, cæteris unice ad ipſorum gloriam eſſe invigilandum. Injuſti in deſideriis ſuis; vellent ſibi ſolis mortalium omnium æſtimationem conciliare, ſoli niteſcere, ſoli opulentia frui, licet indigni ſint, atque immerentes. Æterna agitantur ſollicitudine ſi quid accidit, quod illos exæquare poſſit ſimilibus, vel etiam poſthabere. Temeraria præſumptio eſt, omnia aggredi, ut præ cæteris emices. Magna laborant invidia alienorum bonorum, quæ ſuis caliginem poſſunt offundere. Lapſi ſunt? ſi errorem diſſimulare non poterunt, pro viribus in innocentem detorquebunt culpam. Participes ſunt inſignis alicujus facti? jam ſe illius ſolos auctores fuiſſe gloriabuntur. Agitur ne de communibus legibus obſervandis? adfectata ſingularitate ſe ab illis diſpenſabunt, Superiores ſævi, inferiores cupidi, amici infideles. Ad totum ſuperbi hominis elogium explendum, verbo, dicere poſſumus, illi in partem ceſſiſſe omnes univerſi orbis iniquitates. *Idem, & Recens quidam*.

Superbia & Patrum. atque Theologorum ſententia vitium eſt univerſale.

Ex Theologia diſcimus ſuperbiam vitium eſſe quodammodo univerſale, quod omnia ad noſmetipſos referens vellet Deo ſurripere univerſa. Naturalia, ſupernaturalia bona infelix iſta cupiditas nullo habet in diſcrimine; omnia promiſcue ſubjicit inexplebili deſiderio noſmet attollendi, & obliviſcendi noſtræ ſubjectionis, & miſeriæ, quæ eſt nobis ingenita. Verum eſt, ſi rem attentius inſpicere placuerit, nos inventuros, quod omnia peccata noſtra ex noſtra æſtimatione, & incompoſito noſtrimetipſorum amore proficiſcuntur. Facile eſſet effuſa enumeratione ſententiam hanc probare, ſed aliud ſeſe nobis ultro offert argumentum. Quis non videt a nobis divinam legem non violari niſi ut noſtris cupiditatibus pareamus? & ſi demiſſius de nobis ſentiremus, minus ægre ferremus privationem earum rerum, quas poſſidere non poſſumus, niſi Dei legem infringentes? Non adeo ſolliciti eſſemus de voluptatibus, divitiis, honoribus, ſi nihilum noſtrum cognoſceremus. Id appetimus, quod noſtris affectionibus velificatur, quia plurimi noſmetipſos facimus, utque nobiſmetipſis ſatisfaciamus ſine religione ea conſectamur, quæ non abhorrent a ſcelere. Si cupimus aliam magis peculiare nobis imaginem ſuperbiæ effingere, fateri tenebimur, hanc avertere oculos noſtros a Deo, a

quo

BIBLIOTECA CENTRAL

quo nihilominus omnia ſine ulla exceptione tenemus, & illos in nos convertere, tamquam in bonorum omnium auctores: Videbimus vanitatem, quæ nobis ingenita eſt, & quæ in nobis quotidie nova facit incrementa, non aliud habere ſcopum, quam Deo gloriam, ſi fieri poſſet auferre, nobis attribuentem ea, quæ unice ab illius bonitate procedunt. *Idem*.

GRATIA ACTUALIS, EJUS VIS, ET SUAVITAS.

Gratiarum repulſa, & contemptus, Subtractio, & Subſtitutio Gratiarum Dei.

MONITUM.

NUllum Samaritanæ mulieris Evangelio accommodatius eſſe reor argumentum, quam de Gratia verba facere, quod Concionatorum plerique conſueverunt. Et profecto, effectus, vis, ſuavitas, ac tota ratio qua cum peccatoribus, quos Deus convertere cupit, agit gratia, in Samaritanæ exemplo, tamquam in ſpeculo quodam videntur, cujus quidem prolixum Evangelium nihil aliud complectitur præter hiſtoriam, ac Jeſu Chriſti cum eadem colloquium. Verum cum argumentum hoc aliis pluribus in occaſionibus pertractari queat, de actuali gratia verba faciemus; quin ad illud Evangelium omnia referamus. Ad hoc autem animadvertendum eſt.

1. Nos hoc in loco nequaquam verba facere de omnibus gratiis Dei, quæ ſub gratiæ nomine comprehenduntur, ſub quo continentur etiam omnia dona, favores, & bona ſeu naturalia, ſeu ſupernaturalia, quæ a divina bonitate recipimus; ſed tantum de luminibus, ſanctiſque afflatibus, qui Cœlitus demittuntur, ut ad bonum promoveamur, & quas actuales gratias dicimus, quæ nos præveniunt, & excitant.

2. Concionatori hoc in argumento evitandas eſſe odioſas diſputationes, quæ tantum in mundo rumorem pepererе, & quæ ad ædificationem Auditorum nihilum proſunt; ſed orthodoxas tantummodo opiniones eſſe ſupponendas. Cavendum quoque, ne hoc argumentum Scholaſticorum more pertractetur, ſed ex fidei veritatibus contra Pelagianos, alioſque Hæreticos jam conſtitutis educendæ ſunt morales concluſiones, quin eæ difficultates attingantur, quæ Catholicorum ſententias diſpeſcunt. Itaque has miſſas faciemus; ſatiſque eſſe putabimus, ea tantum afferre, quæ nos excitare poſſunt, ut ſumma officii fide gratiæ motus ſequamur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Sermonum hujus Argumenti lineamenta.

1. GRatia conſiderari poteſt, & in Deo illam tribuente, & in homine eam recipiente. In Deo quidem ſi ſpectetur, numquam ſatis admirari poſſumus ſapientiam, & bonitatem Patris miſericordiarum in prudentiſſimo, quo utitur, conſilio, effecturus, ut ab hominibus ea recipiatur gratia, quam illis offert, quamvis ipſi non mereantur illam, ac ſæpe etiam ſe ſe eadem indignos præbuerint. In homine vero illam recipiente ſi gratia perpendatur, non ſatis admirari poſſumus callidas artes, quibus illam quærit eludere, ne eidem parere cogatur. Hoc autem juſtæ concionis partitionem poteſt efficere.

Quod ad priorem pertinet partem; Hoc ſapientiæ, divinæque bonitatis conſilium elucet 1. in multitudine gratiarum, quas nobis confert ſincere ſalutem noſtram deſiderans; quoniam illæ totidem motus ſunt, quibus nos ſtudet ad beatum finem noſtrum impellere, ad quem nos deſtinavit, & quæ proinde æternam ex nobis gratitudinem poſcunt. Etenim abſque eo quod de exterioribus gratiis, puta de bona educatione, bonis exemplis, ad hoc vel illud munus, vel ad hunc, vel illum vitæ ſtatum vocatione, qua utitur, ut ſua in nobis ab æterno concepta conſilia exequatur; quot luminibus quotidie mentem noſtram illuſtrat, quot ſanctis motibus, ardoribuſque noſtram excitat voluntatem? Quot hujuſmodi gratiis cumulati fuimus? quot etiam nunc quotidie cumulamur? ipſe nos ſollicitat, & ſexcentis in occaſionibus urget, ubi minus id cogitamus; ſæpe nos viſitat cum ab eo longius diſtamus, & neminem ita deſerit, quantumvis nocens ille ſit, ut illi ſemper ſufficientia non tribuat adminicula, quorum ope de ſcelerum omnium ſentina, in quam præceps prolapſus eſt, conſurgere valeat. 2. Hæc autem eo etiam nitet, quot uti loquitur Apoſtolus plures induit formas: *Multiformis gratia Dei*; Modo enim invitat, modo minas intentat, modo illecebris attrahit, modo deterret; modo divinæ ſpe miſericordiæ conſolatur; modo ſeveri judicis metu terrorem incutit. Nullum non lapidem movet gratia ut cor noſtrum molliat, & flectat. 3. Hæc ars magis adhuc peculiariter elucet in ipſa gratiæ indulgentia ſeſe ſtudiis noſtris, temperamento, naturæ, immo etiam affectibus noſtris accommodantis, eorum objecta immutando, quin illos funditus eradicare conatur, quemadmodum in Sancta Maria Magdalena, Sancto Paulo, Sanctoque Auguſtino palam innotuit. Ipſa ſeſe cujuſcumque ſtatui, & conditioni ſubmittit; ab aliis plus, minus ab aliis exigit, numquam tamen ſupra vires cujuſpiam. Senſus autem, quos hæ cogitationes in nobis excitare debent, ſunt gratitudo, confidentia in bonitate divina, metus patientiam illius fatigandi, & propoſitum fidelius impoſterum obediendi gratiis Dei, quam hactenus fuerit obtemperatum.

1. Petr. 4.

Pars altera. Poſtquam mirabilem admirati ſummus artem, qua Dei miſericordia ſuas gratias impertit, & eas rationes, quibus utitur, ut hominum corda deliniat, & flectat, deplorandæ ſuperſunt nefariæ hominum artes, quibus gratiæ ſtudia conantur eludere, neque enim magis induſtrii unquam eſſe poſſunt, quam cum ſibi nocent. 1. Harum autem artium principem ſibi vendicat locum illa, qua mortales oculos obſtruunt omnibus gratiis, illis palam reſiſtentes, vel ut Job loquitur, iiſdem rebellantes: *Ipſi fuerunt rebelles lumini*. Etenim quemadmodum gratia licet fortis, ac potens, violenter non agit, ſed integrum homini relinquit, eidem aſſentiri, vel illam rejicere; ita non deſunt peccatores, qui ut impune ſua ſcelera patrent, & inter flagitia ſua tranquillam, pacatamque vitam traducant, rejiciunt Cœli gratias, atque in nimia hominum copia cæcutiunt, necnon internorum motuum, quibus pertinaciter obluctantur, multitudine obdurantur. 2. Altera vero illorum ars, qui nondum omnem pietatis ſenſum abjecerunt, ea eſt, quia detrectant omnia auferre impedimenta, quibus ne Deo inſerviant, prohibentur: & ne luminibus, illecebriſque gratiæ ſeſe victos dedere teneantur, ſexcentis vacant negotiis, ne ſibi vacet, illis mentem adhibere, jucunda quærunt hominum conſortia, & ea ſolatia, quæ quaſcumque ſanctas cogitationes avertunt. 3. Tertia denique ars eorum eſt, qui cum nequeant divinæ gratiæ lumina effugere, neque omnino illius vim evitare, differre ſaltem

Job 14.

co-

conantur ejuſdem effectum, quemadmodum Sanctus Auguſtinus facere conſueverat. *Modo, & modo, & illud modo non habebat modum*. 4. Alii tandem arte, vel potius indigniſſima avaritia, ſeſe ex dimidia tantum parte Deo tradere volunt, Deum, ſimulque mundum conciliare cupientes, & gratiæ quibuſdam tantum in rebus obtemperantes, quod efficit, ut hæc prorſus ab illis recedat.

II. 1. Nullum bonum opus, quantumvis minimum ſine Dei gratia perficere poſſumus. *Sine me nihil poteſtis facere*, Dei Filius inquit. 2. Nullum bonum opus eſt, quantumvis maximum, quod cum Dei gratia nequeamus operari. 3. Nullum bonum opus eſt quantumvis in oculis hominum præclarum, egregiumque, quod Deo acceptum eſſe poſſit, & ad æternitatem promerendam conferre, ſine gratia.

III. Tria conſiderari poſſunt in gratia, ut tres Concionis partes inde fiant.

1. Ejus neceſſitas; nam ſine gratia nihil facere poſſumus, quod Cœlum mereatur in præmium. 2. Quod gratuita eſt, ac independens; cum enim debeatur nemini, Deus illam tribuit cum vult, & cui vult, eamque negat, ac ſubtrahit, ubi vult; quamobrem enixius eſt flagitanda. 3. Pernicitas ejus; celerrime pervolat; ideoque ſedula opus eſt diligentia, & non abutendum eo temporis puncto, fortaſſe non ultra redituro, ſi ſemel effugerit.

IV. 1. Tot nos illecebris attrahit, ut ſufficiat, bonum ab ipſa nobis offerri, ut illud ea jubente amplectamur, talibus nos aggreditur in circumſtantiis, ut cor cum gaudio, & voluptate ſeſe illi ſubjiciat; & hæc gratiæ illecebra dicitur. 2. Hominis voluntatem in bono confirmat, quin ejuſdem officiat libertati; immo e contra eum magis ſui ipſius dominum efficit, quam antea, quoniam peccati ſervus erat. 3. Denique bona opera ita glorioſe coronat, ut cum primum difficultates, laboreſque metuerentur, gaudium dumtaxat, & facilitas in virtutis exercitatione inveniatur.

V. In duplici concionis parte poteſt oſtendi: 1. Gratiæ ſuavitas in ea ratione, qua in hominis cor, mentemque operatur, & quomodo naturæ, ac ſtudiis noſtris illa ſe accommodet &c. 2. Vis, quam ex ipſa ſuavitate deſumit, quæ illam ita potentem efficit, ut de cordibus pertinaciſſimis, maximeque rebellibus triumphum reportet. *Hoc eſt argumentum P. Bourdalove in Concione de Samaritana muliere*.

VI. 1. Nihil magis eſt neceſſarium, quam gratia; hæc enim primum eſt ſalutis noſtræ principium & ſine illa hanc mereri non poſſumus; attamen nihil eſt, quod magis contemnatur. 2. Nihil pretioſius, quam gratia, & tamen nihil magis negligitur. *Ex Chriſtianis Conſiderationibus P. Nepveu. Tomo* 1.

VII. De menſura gratiæ, quam Deus ſingulis deſtinavit.

1. Deus unicuique noſtrum certam gratiarum menſuram deſtinavit, quæ numeratæ, ac determinatæ ſunt: In quo ſenſu hoc intelligendum ſit; videlicet de electis, vehementibuſque gratiis; nemini enim eas negat, quæ ad ſalutem operandam ſunt unicuique neceſſaria. 2. Hæc menſura incerta eſt, & nemo ſcire poteſt, utrum illa, quam rejicit, futura ſit noviſſima, quam Deus eidem conferre decrevit, poſtquam nullæ niſi communes gratiæ ab illo ſint expectandæ. 3. Hæc menſura non omnibus par eſt, quoſdam deſeruit Deus, poſtquam ſemel gratiam contempſere; cum aliis vero non uſus eſt tanta ſeveritate, niſi poſtquam centeſimam neglexerunt. Illud tamen certum videtur; huic menſuræ cumulum a Deo minime ſtatui, niſi poſt inſignem aliquam gratiam, quæ critica dici poteſt, cui ſumus obluctati. *Ibidem Tomo* 2.

VIII. 1. Sine gratia nihil facere poſſumus: hoc ambitioſos ſenſus noſtros in iis, quæ bene facimus, debet conterere. 2. Gratia ſine nobis nihil poteſt: hoc ignaviam noſtram condemnat; cum enim gratia indeſinenter ad virtutem nos excitet, nos ab illa abhorremus, & infidelitas, qua gratiæ reſpondemus, efficit, ut illa ſuo careat effectu. 3. Cum gratia, quæ numquam nobis deerit, poſſumus omnia; hoc nos inflammare debet ad maxima quæque pro Dei gloria obeunda facinora.

IX. 1. Quid faciat gratia, ut peccatorem convertat? Eum prævenit, atque ne cogitantem quidem inviſit; opportunum, commodumque tempus expectat, mentem illuminat, ſuaque luce perfundit, itaut æternas veritates omnino alio ſub aſpectu intueatur, quam hactenus illas conſpexerat; cor illius tangit, atque in eodem excitat deſiderium ſe ſe Deo mancipandi, & ex ſcelerum ſuorum cæno emergendi. 2. Quid peccatori viciſſim faciendum, ut ſe fidelem præbeat gratiæ? attentus eſſe debet motibus gratiæ, illi alacriter reſpondere debet, ne illa iterum non reverſura diſcedat: *Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia*. Denique ſumma fide ea omnia debet exequi, quæ ab ipſo poſtulat gratia.

X. De Divinæ gratiæ contemptu.

1. Gratia a peccatore contempta efficit, ut Deus juſto ſupplicio viciſſim eam dare neget; quoniam recipere detrectat oblatum ſibi donum, meretur ſaltem dono eodem privari. 2. Gratia a Deo peccatori negata eſt eidem fons omnis infelicitatis, & reprobationis; hoc enim illius cæcitatem, atque obdurationem in ſcelere parit.

XI. 1. Gratia patienter peccatorem expectat. Illum urget, ac ſæpe plures etiam annos ſollicitat, quamvis a peccatore repellatur, & contemnatur. 2. Illum tandem lucratur, commodum tempus, opportunaſque nacta occaſiones. 3. Illi aufert fallacem conceptum, quem de hujus mundi bonis imbuerat, efficiens, ut eorum tædeat ſimul, ac pigeat.

XII. Gratiam conſiderare poſſumus. 1. Quatenus nobis oblatam, atque tunc illius pretium ponderandum eſt, quanti illa ſtet Filio Dei, finis, propter quem offertur, & ad quid ſit neceſſaria; quod efficiet, ut illam inſectanter, atque enixe expectamus. 2. Quatenus acceptam; atque tunc ex nobis exigit fidelitatem, atque pro tanto munere gratitudinem, nec non celeritatem, ut illi obtemperemus.

XIII. De gratiæ ſuavitate, ac vi.

1. Ejus ſuavitas in eo præſertim elucet, quod jugum Domini ſuave, & onus ejuſdem leve facit; quod efficit ut ea præcipue diligamus, quæ corruptæ naturæ ſunt magis contraria; nobiſque in maximis calamitatibus cor ſolatio replet, & hilaritate. 2. Vis autem in eo emicat, quod per illam vehementiſſimos, efferoſque affectus noſtros ſubigimus, quod maxime inſuperabiles obices vincimus; quod illa nos in periculoſis occaſionibus, vehementioribuſque tentationibus tuetur, & demum quod ad difficillimorum operum finem nos feliciſſime adducit.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoreſque, unde copia deſumi poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras elaborandas.

Sancti Patres. Sanctus Auguſtinus in Soliloquiis, quæ eidem tribuuntur, deſcribit cæcitatem, in qua ante ſuam converſionem vivebat, & quomodo fuerit illuſtratus a gratia.

Idem, *lib. de natura, & gratia contra Pelagianos*, oſtendit, quomodo gratia nobis animæ ſalutem reddat, & mox efficiat, ut in Dei ſervitio ambulemus.

Idem, *lib.* 2. *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, docet noſmet ad gratiam præparandam ſine gratia diſponi non poſſe.

Idem, *lib. de Gratia, & libero arbitrio*, docet libero arbitrio tantum concedendum non eſſe, ut primam præcipuamque confidentiam non conſtituamus in gratia, ſine qua nullum efficere poſſumus bonum, neque aliquid pro Cœleſti patria mereri.

Idem, *lib.* 2. *de Peccatorum meritis contra Pelagianos*, docet ſine gratia præcepta Dei a nobis adimpleri non poſſe, & quomodo per gratiam illa adimpleamus, & ad virtutem excitemur.

Idem in Expoſitione Pſalmi 5. hæc explicans verba: *Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos*, oſtendit bonam Dei voluntatem ſemper noſtræ præcedere.

Idem, *de bono perſeverantiæ lib.* 2. docet neminem jure conqueri poſſe, quod alteri quidem gratias conferat Deus, alteri deneget.

Idem, *in Pſalm.* 67. gratiam gratis dari oſtendit.

Idem, *lib. de Gratia Chriſti contra Pelagianos*, acriter hæreticum Pelagium refellit, aſſerentem, hominem ſola liberi arbitrii ſui virtute poſſe operari bonum, ſine interioris, & actualis gratiæ ſubſidio.

Idem, *in Pſalm.* 118. hæc explicans verba: *Quoniam mandatis tuis credidi*, docet non poſſe nos Dei præcepta adimplere ſine gratiæ ſubſidio, & ad Deum orationem convertit illam expetiturus.

Idem, *in Pſal.* 142. animam comparat terræ ſterili, aridæque, & cœleſtibus imbribus indigenti.

Sanctus Gregorius, *lib.* 16. *Moral. cap.* 10. probat poſſe nos gratiæ aſſentiri, eamque repellere, & liberum arbitrium omnium bonorum operum noſtrorum particeps eſſe.

Idem,

Idem, *lib.* 33. hæc explicans verba cap. 11. Job: *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* oſtendit, nos minime poſſe mereri gratiam, præſertim vero primam.

Idem, *Homil.* 9. *in Ezechielem*, docet nos gratiæ debere quidquid boni facimus; & noſtra accidere culpa, ſi nullum facimus.

Idem, *lib.* 1. *in primum Regum*, oſtendit ſine gratia omnes actiones noſtras nihil pro Cœleſti gloria mereri.

Idem, *lib.* 10. *Moral. cap.* 12. *Job*, docet neminem penitus a gratia in tentationibus deſeri.

Idem, *lib.* 22. *in cap.* 5. eorum injuſtitiam, atque ingrati animi vitium oſtendit, qui viribus ſuis actionum ſuarum merita referunt accepta.

Idem, *lib.* 27. *in cap.* 32. docet, Deum ſupremum eſſe gratiarum Dominum, arbitrumque eas, cui voluerit dantem, ac renuentem.

Sanctus Hieronymus, *in Pſalm.* 107. ait, nobis gratiæ cooperandum eſſe, & docet, quomodo agat nobiſcum.

Idem, *lib.* 14. *in cap.* 51. *Iſaiæ*, oſtendit præclaras actiones, quæ gratiæ ſubſidio fieri poſſunt, eamque probat omnino ad bonum agendum eſſe neceſſariam.

Sanctus Chryſoſtomus, *Homil.* 46. *in Geneſ.* 10. loquitur de vi, & conſtantia, quam gratia nobis inſpirat,

Idem, *Homil. de Adamo, & Eva*, docet Deum per gratiam, quam hominibus tribuit, auctorem eſſe bonorum omnium, quæ in illis ſunt, omnium virtutum, bonarum actionum, meritorumque.

Idem, *Homil.* 21. *ad Popul. Antioch.* de gratiæ vi, atque effectibus verba facit.

Sanctus Bernardus, *Serm.* 21. *in Cantica*, hæc explicans *cap.* 1. verba: *Trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum*, oſtendit nobis integrum eſſe eum ſequi, qui per gratiam ſuam nos vocat, & attrahit.

Aſcetici aliique. Granatenſis in duce Peccatorum cap. 14.

P. Antonius de Sancto Martino a Porta ingens volumen edidit inſcriptum, *Des Conduites de la Grace ſur la converſion des pecheurs*, & in parte tertia, fuſius verba facit de Actuali gratia cum Scholaſticorum more, tum Concionatorum.

P. Bonal, libro cui titulus, *le Chretien du temps* pluribus in locis de gratia loquitur, præſertim vero parte ſecunda, ubi agit de omnium vocatione ad ſalutem.

P. Chalu libro de Prædeſtinationis arcano *Tract.* 2. *art.* 4. *& cap.* 2. *art.* 1. de gratiarum contemptu verba facit.

P. Simon le Boſſu tres edidit Tomos de uſu gratiæ, ubi nihil prætermiſſum eſt eorum, quæ hoc in argumento poſſunt deſiderari.

P. Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus pro ſingulis anni diebus de gratiarum abuſu loquitur Tomo primo die quinta Februarii; de Fidelitate erga gratiam die quarta Martii, Tomo ſecundo de gratiæ neceſſitate die Aprilis 15.; de gratiarum menſura die Junii ſecunda. Tomo quarto de ratione reddenda Deo de gratiis acceptis, die octava Decembris. De gratiæ lumine die 19. menſis ejuſdem.

P. Haineufve Tomo 4. de Ordine, ubi agit de ſpiritus renovatione, loquitur etiam de gratiarum contemptu.

Non offeruntur hoc in loco Theologi Scholaſtici, neque infinita propemodum librorum ſupellex, quæ per occaſionem diſputationum hujus temporis in lucem prodiit.

Concionatores. P. Delingendes in Quadrageſima duas habet conciones de gratia, alteram pro feria ſexta tertiæ, alteram pro ſecunda hebdomadæ quintæ, ubi collegit quidquid hoc in argumento dici potuit.

P. Reina Concione in Samaritanæ Evangelium plurima habet ad hoc argumentum ſpectantia.

P. Segneri Concionem hujus argumenti habet in Quadrageſima.

P. Bourdalove in Sermone de Samaritana muliere verba facit de vi, & ſuavitate gratiæ.

P. Girouſt in Quadrageſima Sermone in idem Evangelium loquitur de gratiæ œconomia.

Idem ſermone pro feria quinta poſt Cineres loquitur de ſubtractione gratiarum.

Abbas de Monmorel Homil. in Evang. Dom. 4. poſt Pentec.

P. Texier in Dominicali Serm. pro Domin. 5. poſt Pentec. loquitur de reſiſtentia gratiæ.

P. Maſſillon Sermone in Evangelium Samaritanæ; in ſermonibus, quæ illius nomine circumferuntur.

De la Font Propoſitione pro Dom. 4. poſt Paſcha.

Auctor Sermonum Chriſtianorum. Sermon. pro Domin. 12. poſt Pent.

P. la Peſſe Tomo 2. Sermonum Concionem habet de Gratia.

In tertio Chriſtianarum Actionum tomo adhortationem habet de iis, quæ cognoſcenda ſunt de gratia.

In Dictionario Morali duo ſunt de gratia ſermones cum plurimis conſiderationibus.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta, in adventu Sermonem habet de gratiarum repulſa, & contemptu.

Idem in Quadrageſima Sermone de Samaritana de gratiæ œconomia agit.

Idem Sermone 2. de Epiphania de gratiæ vi, & ratione loquitur.

Idem in Dominicali pro 18. Domin. poſt Pent. de gratiæ neceſſitate, & poteſtate verba facit.

Idem in Myſteriis Sermone primo de Spiritu Sancto parte ſecunda loquitur de gratiis, & afflatibus Spiritus Sancti.

Buſæus. *De ſtatu hominum, de gratiæ Divinæ ſtatu*.

Qui collectanea ediderunt. P. Ludovicus Granatenſis in locis Communibus. Titulo *Gratia*.

Raynerius de Piſis. Titulo *Gratia*.

Labatha, & alii.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & applicationes Scripturarum huic Argumento.

Vocavi, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Prov. 1.

Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis; ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo. Ibid.

Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Pſalm. 94.

Vocabis me, & ego reſpondebo tibi. Jobi 14.

Ipſi fuerunt rebelles lumini. Jobi 24.

Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Pſ. 142.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Iſaiæ 12.

Omnes ſitientes venite ad aquas. Iſaiæ 55.

Expectat Dominus ut miſereatur veſtri. Iſaiæ 30.

Quid debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? Iſaiæ 5.

Vocavi, & non erat qui audiret. Iſaiæ 50.

Locutus ſum ad vos mane conſurgens, & loquens, & non audiſtis; & vocavi vos, & non reſpondiſtis. Jerem. 7.

Si in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pænitentiam egiſſent. Matth. 11.

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Matth. 23.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Matth. 11.

Si cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Luc. 19.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joan. 1.

Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de Cælo. Joan. 3.

Sine me nihil poteſtis facere. Joan. 15.

Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Joan. 6.

Nemo poteſt venire ad me, niſi ei datum fuerit a Patre meo. Ibid.

Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei. Ad Roman. 3.

Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Ad Rom. 9.

An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Ad Rom. 2.

Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia. Ad Rom. 5.

Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei. Ad Rom. 8.

Cujus vult miſeretur Deus, & quem vult indurat. Ad Rom. 9.

Non ego, ſed gratia Dei mecum. 1. ad Cor. 15.

BIBLIOTECA CENTRAL

Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto. 1. ad Corinth. cap. 12.

Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 2. ad Corinth. cap. 3.

Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Ibidem, cap. 12.

Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit. 1. ad Corinth. 15.

Exhortamur ne in vacuum Dei gratiam recipiatis. 2. ad Corinth. cap. 6.

Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia. Ad Rom. 11.

Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Ad Philippenſ. 4.

Deus eſt, qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate. Ad Philippenſ. 2.

Unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Ad Epheſ. 4.

Deus nos vocavit vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra: ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu. 2. ad Timoth. cap. 1.

Deus omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. ad Timoth. 2.

Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Ad Hebræos 4.

Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei. Ibidem, cap. 12.

Multiformis gratia Dei. 1. Petri, cap. 4.

Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Ibidem, cap. 5.

Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. Act. 7.

Ego ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, &c. Apoc. 3.

Exempla ex Veteri, Novoque Teſtamento deprompta.

Exemplum Abrahæ, qui fuit fidelis gratiæ. Geneſ. 22.

CUr Deus Abrahæ tot bona promiſit, & cur illum tot gratiis cumulavit? Principium repete: *Quid obediſti voci meæ.* Si Sanctus hic Patriarca primam hanc gratiam repuliſſet, niſi ea in occaſione ſe geſſiſſet tanquam virum ſupra humanam conditionem poſitum, ſi cogitationibus ſuis libere evagari permiſiſſet, ſibimetipſi profecto dixiſſet; fieri ne poteſt, ut Deus opponatur Deo, mihique id præcipiat, quod plane iis adverſatur rebus, quas mihi præcepit? Miraculo mihi filium largitus eſt; nunc autem præcipit, ut non ſine quodam veluti parricidio hunc illi reddam; per filium hunc mihi pollicitus eſt futurum, ut ingentis poſteritatis gloria celebraret; nunc vero imperat, ut huic eidem filio vitam auferam, veluti in ejuſdem perſona ſuffocaturus, atque extincturus ſpem frequentiſſimæ hujus poſteritatis. Iterum dico; ſi non reſpondiſſet Abraham huic primæ gratiæ, hæc ab aliis non fuiſſet excepta, & pro benedictionibus obrutus fuiſſet maledictionibus.

Exemplum Saul, quem repulit Deus, eo quod gratiæ extitit infidelis.

Deus ut plurimum ſalutem noſtram gratiis quibuſdam adnectit, quæ criticæ poſſunt appellari, & prout eiſdem fideles noſmet præbemus, vel ſecus, ita ille nos vel prædeſtinat, vel reprobat. Exempli cauſa, ſalus, & felicitas Saul adnexa erat obedientiæ, quam præſtare debebat imperio Dei per Samuelem Prophetam ſibi irrogato, ne injuſtus ſacrificium auderet offerre, & ne cui rei parceret in Amalecitarum clade, neque ullas ſibi manubias reſervaret. Si Saul fideliter huic paruiſſet imperio, jam omnino ſibi Dei benevolentiam conciliaſſet, a quo thronus illius confirmatus fuiſſet, ac ſceptrum in omnem ejuſdem poſteritatem traductum, quemadmodum Samuel ipſe teſtatus eſt. Ut verbo me expediam. Deus illum gloria, & benedictionibus cumulaſſet. Sed Saul ea in occaſione, in qua Deus fidelitatis ejuſdem periculum facere voluit, non paruit; & nihil ultra quæſitum fuit, ſed eodem temporis momento Deus illum projecit: *Projecit te Dominus, ne ſis Rex ſuper Iſrael.* *1. Reg. c. 15.*

Exemplum Pharaonis rebellis gratiis Dei.

In Bibliis nullum inſignius adeſt pertinacis, diutinæque reſiſtentiæ vi gratiæ, quam Pharaonis exemplum. Quot rationibus gratia rebelle cor illud flectere adnita eſt? Quandiu hoc certamen permanſit? Qua pertinacia cor obduratum illius jacula eluſit? Iteravit flagella Deus, ut impium Regem deterreret; qui aliquoties victus manus dedit, ſed in ſpeciem dumtaxat, donec eæ ceſſarent plagæ, quibus ipſe, populuſque ipſius percutiebantur; at voluntas ſemper inflexibilis in eadem obſtinatione permanſit: *Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* *Exod. 5.* Nihil nobis apertius oſtendit, hominis voluntatem validioribus etiam, urgentioribuſque gratiis reſiſtere poſſe, atque liberi arbitrii noſtri hac in re probat facultatem: itaut nos unice cauſa ſimus noſtri infortunii, propterea quod cœleſtibus gratiis obluctamur. Verum ex hoc eodem exemplo edocemur quibus flagellis, atque ſuppliciis ii digni ſint, qui ſunt hujuſmodi gratiis rebelles.

Cogitatio ad patrem redeundi in prodigo filio fuit gratia.

Reputemus quid in prodigi Filii converſione contigerit. Nefariæ ejuſdem libidines ad turpiſſimam illum redegerant neceſſitatem laboribus victum ſibi in ſingulos dies comparandi. Hæc quondam mentem illius ſubiit cogitatio. Quot hodierna die ſunt in domo patris mei miniſtri, victus affluentia lætantes, me interim hic fame pereunte? Nonne ſanius conſilium eſſet reverti ad patrem meum, & delicti mei veniam depoſcere? Alia poterat in animo illius ſuboriri cogitatio; exempli gratia, furandi, ut abunde ſuo victui conſuleret, ſolum vertendi, honeſtius officium inquirendi, puta militiæ nomen dandi &c. Sed melius Deus illi conſilium immiſit: integrum erat eidem hoc amplecti, vel abjicere; tamen illud ſecutus eſt, omnia illi bene verterunt. Expanſis ulnis illum ſinu ſuo complexus eſt pater, cum eodem rediit in gratiam, eique priſtinum benevolentiæ locum reſtituit. Quoties Deus ſimiles nobis cogitationes immittit, quas ipſi reſpuimus? Quoties inter infortunia, quæ nobis in terris accidunt, vel propter hominum nequitiam, vel fortunæ improbitatem, vel ut rectius loquar, altiſſimum Providentiæ conſilium, ita diſponentis, ut emendati reſipiſcamus; quoties, inquam, mentem cogitatio ſubit ad Deum redeundi, quin internis hiſce vocibus ſeſe dedat noſtra voluntas? Deus nos vocat, nos autem aures obſtruimus. Audimus ſatis, quid ille dicat, ſed minime reſpondemus, qua de re per ſuum Prophetam conqueritur: *Locutus ſum ad vos mane conſurgens, & loquens, & non audiſtis; & vocavi vos, & non reſpondiſtis.* *Jerem. 7.*

Exemplum Sancti Pauli, qui ad Filii Dei vocem ſtatim ſe ſe convertit.

Quis magis celerem, miramque audiit mutationem, quam quæ in Sancti Pauli converſione contigit! Triplici in cæcitate verſabatur, ut de ſeipſo idem ait, cæcitate ignorantiæ: *Ignorans feci;* cæcitate incredulitatis, *in incredulitate*, cæcitate ex fallaci zelo profecta, quandoquidem in hoc ſuam conſtituerat gloriam, ut traditiones antiquas mordicus tueretur: *Abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum;* *Ad Gal. 1.* quibus quartam adjicere poſſumus iræ furoriſque, quo raptus Domini nomen blaſphemabat, & eos perſequebatur, qui fidem ipſius ſequi profitebantur: *Qui blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus.* *1. ad Tim. 1.* Sed tot licet hæc obſiſterent impedimenta, gratiæ radius denſiſſimas has nubes penetravit, & adeo alte cor tenebris circumſeptum pervaſit, ut dicto citius perſecutorem in Apoſtolum, conviciatorem in Evangelii patronum, apertiſſimum Jeſu Chriſti hoſtem in firmiſſimum Eccleſiæ ejuſdem præſidium converterit.

Quid egerit gratia in muliere Samaritana.

Cum de Samaria egrederetur mulier Samaritana, ne cogitabat quidem, quid ſibi eſſet eventurum; at pro illa Dei Filius cogitabat; felix occurſus, quo Salvatori obviam facta eſt, caſu non accidit. Hic illam ad fontis oram præſtolabatur, ut in eamdem, quemadmodum Sanctus Ambroſius ait, aquæ miſericordiæ ſuæ fluerent. Itaque cum te ſentis intrinſecus affici objecto aliquo, quod ſe ſe tibi offert, ne putes hoc forte contingere, Dei quippe opus eſt, qui illud eſt ab æterno præmeditatus. Deus eſt, qui ſalutarem hanc tibi cogitationem immittit, quæ te ad pœnitentiam impellit: Suprema eſt Sapientia, quæ te expectat, veluti Samaritanam mulierem, hoc in loco, momento hoc, in hac occaſione, ut te ad ſui ſequelam adducat. Verum admirare ſuavitatem gratiæ qua in hujus mulieris animum ſibi aperit viam; quin impetu facto illuc irrumpat, quin rebellem cogat voluntatem, illi tantummodo dicit: Mulier, ſi ſcires donum Dei, & illum cognoſceres, qui ex te aquæ hauſtum requirit; intelligeres, eum qui bibit ex aqua, quam offero tibi, numquam ſitire, ac in ipſo fieri fontem aquæ vivæ in æternam uſque vitam ſalientis. Mulier illecta deſcriptione ejus gratiæ, quam quidem ignorat, ſed cujus dulcedinem incipit experiri, repente exclamat: Domine, da mihi aquam hanc, ne unquam ſitiam, neque tanto cum labore huc accedere cogar aquam hauſtura: mox vero illi ſuum aperit cor, ſeque integræ converſioni diſponit, quæ non multo poſt eſt ſubſecuta.

Pa-

BIBLIOTECA CENTRAL

Ratio, quam ex nobis repetet Deus, gratiarum, quas ab illo accepimus.

Parabola patriſfamilias rationem repetentis ex villico de bonorum ſuorum adminiſtratione, ſatis exprimit diſtrictum illud judicium, quo aliquando repoſcet Deus rationem gratiarum, quas contulit nobis, & quæ totidem ſunt ſalutis adminicula, quæ nobis ſuppeditavit. Tibi, inquiet ille, adeo vivida, & valida dedi lumina, ut agnoſceres, quid tibi eſſet faciendum; illane ſecutus es? Tot optimos ſenſus inſpiravi, ut a peccato, & mundo divellerem, ac te mihi conjungerem; illos ne amplexus es? Gratiæ meæ impulſu tot egregia iniiſti conſilia; illane perfeciſti? Tot conciones audiiſti, tot optimos libros legiſti; ullumne fructum percepiſti? Hæc recepiſti; quomodo illa impendiſti? Credebam, Deus, mihi rationem hanc redditurο peccata dumtaxat eſſe metuenda; ſed heu! video, mihi magis adhuc dona, gratiaſque tuas eſſe formidandas; ſi enim nullas recepiſſem, nulla mihi eſſet ratio reddenda.

Congeries exemplorum eorum, qui vel gratiæ reſponderunt, vel eidem reſtiterunt.

Plura nobis in Evangelio ſuppetunt illorum exempla, qui converſi, vel vocati fuerunt alii quidem unico Salvatoris verbo, uti S. Matthæus, alii unico intuitu, uti Zachæus, & Sanctus Petrus poſtquam Dominum ſuum ter negaverat; quæ res ſatis oſtendit celerem, validamque in aliquibus gratiæ operationem. Alios etiam in Actis Apoſtolorum videmus, qui validioribus gratiæ impreſſionibus obluctati ſunt, ut Judæi, qui Sanctum Stephanum lapidibus obruerunt, quibus Martyrum ille princeps exprobravit incredulitatem: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Ex hoc numero fuerunt Felix Judææ præſes, Feſtus, & Rex Agrippa, coram quibus Sanctus Paulus in judicium prodire, & cauſam dicere debuit: Quorum poſtremus cum Sancti Pauli ſermonem roboris pleniſſimum audiviſſet, reſpondit, illum conari, ut ſe in Jeſu Chriſti caſtra traduceret levem ob cauſam: quamvis Apoſtolus, validiſſima attuliſſet ejus veritatis argumenta, quam illi amplectendam proponebat, & argumenta hæc totidem eſſent fortes, validæque gratię, quibus infelix ille adverſatus eſt, licet adverſari non poſſet vi rationum, quæ a Sancto Paulo afferebantur.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Si quidquid boni facimus a gratia procedit, quomodo dici poteſt, nos bonis operibus, mereri?

QUid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? 1. ad Cor. 4. In hæc verba ſæpe egregium hoc effatum repetit Sanctus Auguſtinus. *In multo gloriandum, quando noſtrum nihil eſt.* Quid ergo, aliquis dicere poterit, nonne laudare poſſum hominem, quia bonus, & virtute præditus eſt, quandoquidem ex communi omnium ſapientum ſententia, bona opera ſunt laudibus digna? Sin autem æternam bonis operibus vitam meremur, cur nefas erit aliquam temporalem gloriam coram hominibus quęrere? Opera bona nonne noſtra ſunt, & libertatis noſtræ, æque ac gratię effectus? Nonne pollicetur Deus ſe illos, a quibus glorificatus fuerit, glorificaturum? Nonne ipſe etiam Apoſtolus permittit, ut gloriemur, dummodo gloriemur in Domino? Ipſe etiam nonne ſe plus, quam alios Apoſtolos, adlaboraſſe gloriatur? Ad evitandum Pelagianorum errorem, qui affirmant quidquid boni facimus, a nobis proficiſci, ac propriis viribus fieri; & Lutheranorum, qui aſſerunt nos nihil conferre ei bono, quod facimus, ſed gratiam omnia in nobis operari; confitendum eſt humiliter, Deum eſſe bonorum omnium, quæ ſunt in nobis, auctorem, ac illum nos ſua gratia prævenientem cauſam eſſe, ut illa faciamus. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* *1. ad Cor. 1.*

Gratia patiens eſt, & diu peccatores expectat.

Quadraginta annis offenſus fui generationi illi, &c. Pſal. 94. Non quadraginta tantum annos pertinacem perſequitur peccatorem, ut olim Iſraelitas in deſertum, verum etiam aliquando quinquaginta, ſexaginta; illum urgens, atque ſollicitans, ut oblatis uti velit luminibus ad infelicem ſtatum ſuum, erroreſque cordis ſui cognoſcendos: *Dixi: ſemper hi errant corde.* Centies quotidie dicit illi; infelix te ipſum perdis, ad tuam damnationem feſtinas; cumque peccatorem ſalutaribus hiſce monitis nequaquam moveri intueatur, minas addit, mortem illi intentat, judicium, infernum, atque, ſi peccator adhuc ſua abuſus fuerit patientia, ſe illum perditurum minitatur: *Quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* Verbo; ne cogatur eum reprobare, illum deterrere ſtudet, & ſæpe in ipſum ſuſcitat inimicos, qui eum perſequantur; illum rebus adverſis urget; omnes illius vias ſpinis conſerit, ut tandem reſipiſcens ad Dominum ſuum revertatur.

Attentos eſſe nos decet omnibus gratiis, quas Deus nobis impertit.

Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus venturus ſit. Matth. 24. Attente vigilandum eſt, ut tempus illud obſervetur, quo Dominus ad nos venit per gratias ſuas, non enim quædam deciſivæ deſunt, quibus noſtram ſalutem adnectit. *Vigilate, veniam ad vos, cum minus cogitabitis*, in inopinata fortunæ veſtræ inverſione, in ſubita ægritudine, in domeſtico tumultu, in gravi calamitate. Hujuſmodi occaſiones, & vobis opportunæ ſunt, & illi; vos quidem gratiis ejuſdem recipiendis eſtis paratiores, ille vero hoc tempus inquirit, quo melius a vobis recipiendas eſſe cognoſcit. Verum eſt, momentum hoc a vobis ignorari; ſed ubi venerit, arripiendum eſt; ideoque diligentiſſime cavendum, ne, ut Tertullianus ait, elabatur occaſio. *Rumpe occaſionem inopinatæ felicitatis.* Quid prodeſt ſervis toto primæ horæ ſpatio vigilaſſe, ſi dominus hora ſecunda venturus eſt? Quid vigilaſſe tertia, ſi venerit quarta? Semper paratos eſſe oportet. *Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit.*

Gratia fulguris inſtar prætervolat.

Sicut fulgur exit ab Oriente, & patet uſque in Occidentem; ita erit & adventus Filii hominis. Matth. 24. Gratiæ, quas nobis impertit Deus, tamquam fulgura a nobis exiſtimandæ ſunt, Sanctus Gregorius inquit. Fulgor momento evaneſcit; ſæpe neſcimus unde veniat, aut quo vadat. Hoc ipſum accidit gratiæ; Spiritus Sanctus perflat, ubi ipſi libet; venit, & abit, quin ſciamus, quo ſe recipiat; ſi tibi elabatur, periculum eſt, ne iterum redeat. Verum hoc nondum ſatis eſt; Scis fulgura eſſe tonitruum præſagia; & ubi fulſerit, futurum eſſe, ut non multo poſt cœlum tonet omne fragore. Gratiæ, quas Deus nobis tribuit, nos illuminant, percellunt, efficiuntque, ut noſmetipſos colligamus; ſed admonent ſimul niſi illi fuerimus cooperati, illas in tonitru immutatum iri, ac parituras fulmina, quibus obruemur.

Deus eos punit, qui ſunt ſuæ gratiæ rebelles.

Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam. Jerem. 51. Ex his verbis cognoſcere potes, & ſi cognoveris, totis artubus contremiſces; Deum in ita ſua ultione repoſcere de peccatoribus, qui gratiis ſuis infideles fuerunt, eos deſerentem. Fac quodcumque tibi libet; nulla ultra tui cura me tangit: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata; derelinquamus eam.* Heu! quid erit de anima, quam Deus dereliquit? De ſcelere in ſcelus ruet, quin ne intelligat quidem; vel ſi intellexerit, in iis ſibi complacebit futurum ſperans, ut aliquando illinc emergat. Mira, & pernicioſa illuſio, in qua Deus iratus illam relinquet. Poſtquam per Iſaiam teſtatus eſt, ſe ſummo dolore affectum, eo quod vinea, quam tanta cura excoluerat, ſpem ſuam fefelliſſet, *Auferam*, inquit, *ſepem ejus, & erit in direptionem; diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem.* *Iſaiæ c. 5.* Convelletur, eradicabitur, conteretur, eamque ita deſeram, ut prę ariditate, ac ſterilitate deſertum videatur. *Ponam eam deſertam.* Tribuli, ac ſpinæ obruent illam, & eo uſque mea indignatio exardeſcet, ut prohibeam, ne Cœlum in illam ſuos imbres, & rores effundat: *Aſcendent vepres, & ſpinæ, & nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.*

Infelicitas contemnentium gratiam Dei.

Videns Jeſus Civitatem flevit ſuper illam. Luc. 19. Lacrymæ, quas mundi Salvator ſuper Jeruſalem effudit, non minorem nobis injicere debent timorem, quam ſanguis, quem pro eadem, ac nobis effudit; ideo enim ex oculis ejus manarunt lacrymæ, quia videbat ſanguinem a ſe pro illa effundendum inutilem futurum. Ita cum ſanguis ejus non defluit amplius pro nobis, miſertus malorum nobis impendentium effundit lacrymas teſtaturus dolorem illum, quo afficitur videns nos ad ſtatum adeo infelicem redactos. Quæ enim triſtior cogitatio cor tuum conficere poteſt, o humani generis Salvator, ad miſerrimæ hujus urbis adſpectum? Numquid ejus crudelitas, eo quod tot Prophetarum cruore ſeſe fœdavit, an adſpectus ſcelerum, quæ quotidie ibi patrabantur: quandoquidem nihil præter peccatum illi dolorem poteſt afferre? Numquid conſilium, quod Pontifices, & Magiſtratus contra illum inire incipiebant, ut ſupplicio, omnium graviſſimo, turpiſſimoque eidem vitam auferrent? Numquid tandem urbis hujus, quam Deus tantopere amabat, excidium, ac extrema vaſtitas, quam ipſe etiam portendit? Nihil

ſane

ſane horum peculiariter, ſed urbi malorum omnium origo fuit viſitationis ſuæ tempus non agnoviſſe : *Eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ*. Deflet cæcitatem ingratæ Civitatis, non cognoſcentis tempus, quo viſitatur a Domino, & ignorantis felicitatem, qua perfrueretur, ſi gratiam hanc vellet agnoſcere. *Plangit eos, qui neſciunt, cur plangantur.* *Luc. 19.*

Gratiæ celeriter eſt obtemperandum.

Continuo non acquievi carni, & ſanguini. Ad Galat. 1. Cum nos vocat Deus, vel aliquid petit ex nobis, celeriter obtemperandum eſt, neque jugi cunctatione fatiganda eſt ejuſdem patientia. *Continuo*, inquit Apoſtolus; ſtatim ac locutus eſt, ejuſque vox meis auribus inſonuit, illico, eodemque temporis momento parui, quin aliquam prætexerem excuſationem, quin necterem moras: *Continuo*. Quemcumque obicem fregi; carnem ſanguinemque contempſi; quaslibet humanas cogitationes poſthabui, nulla ratio, nullus metus, cauſa nulla prohibere me potuit. Ex hoc Apoſtoli fervore primam intelligo ſacri illius ignis favillam, quæ ejuſdem cor inflammavit, & ſeſe in extremas uſque oras terrarum effudit. Nos vero, o Fideles, cum nos illuminat Deus, cum inſpirat, cum urget, quamdiu cunctamur antequam obtemperemus? Quot dubitationes mentem perturbant? Quot nos deterrent cogitationes, cum jamjam operi manum ſumus admoturi? In quem cogitationum mæandrum non labimur? At non ita Paulus Apoſtolus: *Continuo non acquievi carni, & ſanguini.*

Quam neceſſarius ſit uſus gratiæ.

Dixit Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. Geneſ. 1. Recte quidem nonnulli Sacrorum Bibliorum Interpretes notarunt, mundum, licet triduo ſaltem ſolis uſu carere potuerit, qui die quarto creatus fuit, ne momento quidem carere potuiſſe luce, quæ eadem cum mundo jactat incunabula, & quæ cum eodem ipſa prima creationis die cœpit eſſe. Hoc facere non abs re Deus eſſe cenſuit, quoniam nullum ex operibus ſuis ſine lucis ope poterat conſpici. Hoc ipſum in ſupernaturali ordine gratiæ deprehendere licet; qui ſemper initium ducit a luminibus, quæ elucere facit ob oculos mentis antequam aliquid in ipſa voluntate producat; cujus operatio ſemper ſupponit operationem intellectus, qui unus cæcam hanc facultatem poteſt illuminare.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum in hoc Argumento.

CUi redderet coronam juſtus Judex, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater? Auguſt. lib. de Gratia & libero arbitrio.

Nolentem prævenit ut velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit, Idem, in Enchirid. cap. 32.

Quod poteſt eſſe meritum hominis ante gratiam? cum omne bonum meritum noſtrum non in nobis faciat niſi gratia? Idem, Epiſt. 194.

Qui nos creavit ſine nobis, non nos juſtificat ſine nobis; creavit neſcientem, juſtificat volentem. Idem, de bono viduit. cap. 17. Et de verb. Apoſt. Serm. 15. cap. 11.

Zachæus viſus eſt antequam videret, & non vidiſſet niſi viſus fuiſſet. Idem, Serm. 8. de verbis Apoſtol.

Si dicis, adjutor meus, aliquid agis; nam ſi nihil agis, quomodo ille adjuvat. Idem, Tract. 4. in Epiſt. Joan.

Vita hujuſmodi hominis (nempe probi) non eſt opus hominis, ſed Dei; imo Dei & hominis: Dei propter operantem gratiam, hominis propter cooperantem obedientiam. Idem, Serm. 15. de verb. Apoſt.

Ipſa eſt gratia beneficii Dei prima, redigere nos ad confeſſionem infirmitatis, ut quidquid boni poſſimus, quidquid potentes ſumus, in illo ſimus: ut qui gloriamur in Domino gloriemur. Idem, in Pſalm. 38.

Liberum arbitrium ad malum ſufficit, licet ad bonum nihil ſit, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono. Idem, lib. de corrept. & grat.

Juſtitiæ præcepta omni ex parte implere non poſſumus, niſi adjuvemur a Deo. Idem, lib. 2. de peccat. meritis & remiſſ.

Quis eſt tam fortis, ut nunquam in tentationem moveatur, niſi Dominus ei adjutor aſſiſtat? Idem, in Pſalm. 43.

Non gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo, Idem, lib. de Gratia & libero arbitr.

Sive parum, ſive multum, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt. Idem, in Joan.

Da quod jubes, & jube quod vis. Idem.

Nihil boni operis agere poteſt (homo) abſque eo, qui ita conceſſit liberum arbitrium, ut ſuam per ſingula opera gratiam non negaret. Hieronym. in Pelagian.

Credendi & non credendi libertas in arbitrio poſita eſt. Cyprian. lib. 3. ad Eunomium.

Ubique Domini virtus ſtudiis cooperatur humanis, ut nemo poſſit ædificare ſine Domino, nemo cuſtodire ſine Domino, nemo quidquam incipere ſine Domino. Ambroſ. lib. 2. in cap. 12. Lucæ.

Dei gratia cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta cauſa eſſe poteſt, injuſta eſſe non poteſt. Auguſt. de Baptiſmo parvulorum.

Quotidiana præſtat (Deus) præſidia, quibus niſi freti, confiſique nitamur, nequicquam humanos vincere poterimus errores. Innocent. Epiſt. ad Concil.

Sicut terra non germinat niſi pluvias ſuſceperit, nec pluvia fructificat ſine terra; ita nec gratia ſine voluntate aliquid operatur, nec voluntas aliquid poteſt ſine gratia. Chryſoſt. cap. 19. in Matth.

Si Dei gratiam nacti fuerimus, nullus nobis prævalebit, ſed potentiores omnibus erimus. Idem, Homil. 46. in Geneſ.

Juſte inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio. Sanctus Leo, Serm. 16. de Paſſ.

Rape occaſionem inopinatæ felicitatis. Tertull.

Tolle liberum arbitrium, non erit quod ſalvetur: Tolle gratiam, non erit unde ſalvetur. Bern. lib. de Grat. & libero arbitrio.

Deus theſauro ſuo invigilat, nec ſinit indignos obrepere. Tertull. lib. de Pœnit.

Neceſſe eſt ut quo adjuvante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur. Cœleſt. Pap. Epiſt. 1. cap. 6.

Omnes nobis cauſamur deeſſe gratiam, ſed juſtius forſitan iſta queritur deeſſe ſibi nonnullos. Bernard. de triplici cuſtodia.

Illa eſt peccati pœna juſtiſſima, ut amittat unuſquiſque quo uti noluit. Auguſt. lib. 3. de liber. arbitr. cap. 18.

Conatus noſtri caſſi ſunt, ſi non adjuventur, & nulli ſi non excitentur. Bernard. lib. de Grat. & libero arbitrio.

Opus eſt gratia tua, & magna gratia, ut vincatur natura ad malum ſemper prona a natura ſua. Lib. 3. de Imitat. Chriſti, cap. 55.

Deus nos prævenit ut velimus, & volentes ſubſequitur, ne inaniter velimus. Gregor. Homil. 9. in Ezechielem.

Deus nobis & initium ſanctæ voluntatis inſpirat, & virtutem atque opportunitatem, quæ recte cœpimus, tribuit peragendi. S. Proſper contra Collatorem.

Gratia ut velimus ſine nobis operatur; cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum operatur. Auguſt. lib. de Grat. & lib. arbitr. c. 17.

Deus, cujus miſeretur, ſic eum vocat quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat. Idem, lib. 1. ad Simplicianum.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumentum poſſit depromi.

Actualis, interiorisque gratiæ definitio; quid ſit, & in quo conſiſtat.

HOc in loco agitur ſolum de actuali gratia, quæ nobis confertur, ut bonum quidem operemur, malum vero fugiamus; alibi enim locuti ſumus de gratia habituali, vel juſtificante, aliiſque Dei ſeu naturalibus, ſeu ſupernaturalibus beneficiis, quæ in Scripturis gratiæ nomine appellantur. Porro interior, & actualis gratia, de qua modo quæſtio eſt, ſubſidium eſt peculiare nobis a Deo collatum, ut bene vivamus, idque gratuito per merita Jeſu Chriſti. Ea autem ſecundum Conciliorum doctrinam in mentis illuſtratione, & voluntatis motu conſiſtit, quam Arauſicanum Concilium *ſuavitatem in conſentiendo*, Tridentinum vero *tactum cordis* appellat. Primum illud a Sancto Auguſtino vocatur lumen, monitum, & vocatio; alterum vero illecebra, voluptas, & amoris initium: *Ut innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates.* Huſmodi gratiæ actuales vocantur, actu enim durant, mox abeunt, qua *Auguſt. de peccat. merit. cap. 17.*

in

BIBLIOTECA CENTRAL

in re ab habitualibus differunt, quæ ſunt permanentes. Illæ autem a Deo proficiſcuntur; earumque nullum eſt in nobis principium; ideoque Deus illas operatur in nobis ſine nobis, uti inquiunt Theologi; quia horum actuum principium in nobis non eſt, quamvis utatur Deus intellectu, ac voluntate noſtra ad eos eliciendos. Deus illas ſine nobis operatur; non enim eas libere nos ipſi producimus; ſed Deus libertatem noſtram prævertit. Quibus addendum eſt, Deum nihil hominibus magis gratuito conferre, ideoque nihil eſſe, quod illis minus debeatur. *Alioquin gratia jam non eſt gratia.* Non debetur autem homini gratia ex juſtitia; Deus enim nihil omnino hujuſmodi debet; bonis operibus non debetur; non enim meritis ſubeſt, quorum ipſa principium eſt: non debetur naturæ, quia ſupra naturam eſt; peccatori vero multo minus debetur, qui tantum abeſt, ut aliquod habeat illius expectandæ jus, quod imo deſeri, ac ſuppliciis adjudicari meretur. *Ad Rom. 11.*

De diſcrimine inter gratiam quæ lumen eſt in intellectu, & eam quæ plus eſt affectus in voluntate. Lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ.

Fides nos credere jubet, Deum non ſolum lumina ſua in noſtrum intellectum effundere, verum etiam in voluntate, cordibuſque noſtris pium affectum accendere. S. Auguſtinus paſſim verba facit de hac duplici gratia ad hoc neceſſaria; ut bonum velimus, & operemur; eaſque vocat: *Certam ſcientiam, & victricem delectationem; lucem quæ aperitur, quod latebat, & ſuavitatem, qua diligitur, quod non delectabat. Certam ſcientiam*, hæc prima eſt gratia, quæ eſt in intellectu; & *victricem delectationem*, quæ altera eſt in voluntate poſita; *Lucem, qua aperitur, quod latebat, & ſuavitatem, qua diligitur quod non delectabat*; eodem ferme pacto quo in igne duæ ſunt qualitates, lux, & calor, per quas ſimul & lucet, & fovet. Hoc tamen diſcriminis intereſt hinc quidem inter ignis lucem caloremque, inde vero inter gratiam intellectus, vel piæ cogitationis, & pium voluntatis affectum; quod lux ex igne refulgens numquam calore caret, calor vero e contra ſæpe eſt ſine lumine, quandoquidem opaciſſima etiam corpora permeat. At non idem dicendum eſt de gratiis Dei. Sæpe enim accidit lumen intellectus calore hoc eſt amore eſſe vacuum. Unde ſequitur ſanctæ cogitationis gratiam in nobis eſſe poſſe ſine pio voluntatis affectu, vel ut melius dicam ſine effectu ſuo: ſed pii affectus gratia ſine gratia ſanctæ cogitationis eſſe non poteſt. Et ratio conſtat, nullus enim neceſſarius eſt nexus inter cogitare, & velle, qualis eſt inter velle, & cogitare. Non ſemper ea volumus, quæ cogitamus; ſed quod volumus, hoc ſemper cogitamus.

Communis actualis gratiæ diviſio in prævenientem, concomitantem, & ſubſequentem.

Vulgatior, magiſque generalis diviſio actualium gratiarum, quæ a Theologis afferatur in eas eſt, quas *prævenientes, concomitantes, & ſubſequentes* appellant. Quæ quidem diviſio cæteris quibuſcumque eſt anteferenda, tum quod cæteræ ad hanc facile referri poſſent, tum quod Tridentinæ Synodi auctoritati fulcitur, quæ de actuali gratia his loquitur verbis: *Quæ virtus bona juſtorum opera ſemper antecedit, concomitatur, & ſubſequitur.* Prævenientem autem dicimus gratiam eam, quæ libertatem noſtram prævertit, gratiam, quæ non vocata, adeſt, & adeſt ſæpe etiam, non expectata, immo tunc etiam, cum ad eam recipiendam minus diſpoſiti ſumus; ideoque Theologi dicunt hanc in nobis eſſe ſine nobis: non quod intellectus ac voluntas noſtra quodammodo in illa non agant; cum enim ſit bona cogitatio, vel pius affectus, eſt actio vitalis, quæ ſine intellectu, & voluntate produci non poteſt; ſed quod nihil libere ad illam conferimus ſeu per meritum, ſeu per liberam cooperationem; & hæc præventio, ut ita loquar, quæ a Deo, ac mera illius gratia, & bonitate procedit, vulgo appellatur *vocatio, vel excitans gratia*. Quatenus vero, uti antea dictum, eſt lumen, & illuſtratio in intellectu, vel delectatio in voluntate, qua ut Sanctus Auguſtinus loquitur, ſe quodammodo præoccupatam ſentit, & neſcio qua dulcedine ſuaviter præventam: conſiſtit in ſanctis perſuaſionibus, monitis, conſcientiæ ſtimulis, terroribus, tædiis terrenarum rerum, ſanctis cogitationibus in intellectu, primiſque motibus in voluntate; quos Deus in anima peccatorum inſpirat, ut illos exempli gratia ad contritionem, vitæque mutationem impellet. Gratia hæc, Sanctus Thomas ait, præveniens vocatur, quia meritum, diſpoſitionem, atque conſenſum prævertit; Meritum quidem, quia hominem invenit Dei inimicum; diſpoſitionem autem, hæc enim gratia voluntatem diſponit, & preparat; conſenſum denique, hoc enim bonum eſt, quod Deus in homine ſine homine facit. Secundo gratiam concomitantem intelligimus hanc eamdem gratiam, quatenus agit in nobis, uti loquitur Sanctus Auguſtinus: *Ut velimus, ſine nobis operatur.* Ecce pro gratia præveniente, quæ nos in eum ſtatum adducit, ut bonum velimus. *Cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum operatur*; Ecce pro concomitante, vel cooperante, quæ talis fit cum bonum volumus, & facimus. Subſequentem denique intelligimus hanc ipſam gratiam, quæ nomen immutat, cum opera noſtra bona ſequitur, perficit, & prohibet, nec inani gloria, vel alia quapiam prava intentione, quæ contingere poſſet, corrumpantur. Itaque eadem ſemper eſt geatia, quę quodam in ſenſu nos prævenit, in alio concomitatur, in alio denique ſequitur juxta ſanctę Tridentinę Synodi verba: *Gratia bona juſtorum opera antecedit, & concomitatur, & ſubſequitur*, *Libr. de Grat. & libero arbit. cap. 17.*

De gratiæ neceſſitate. 2. Cor. 3.

Sanctus Auguſtinus *lib. de Grat. & lib. Arbitr.* probat gratiæ neceſſitatem, & ſine illa nihil boni nos facere poſſe, his Apoſtoli verbis: *Non ſufficientes ſumus aliquid cogitare a nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ita ille argumentatur. Nulla eſſe poteſt actio bona, quam aliqua bona cogitatio non pręceſſerit; cum enim homo ſit ratione præditus, nequit operari bonum, niſi illud velit, & velle non poteſt, niſi illud agnoſcat; & non poteſt agnoſcere, niſi illud recogitet. Si igitur *Non ſufficientes ſumus aliquid cogitare a nobis*, ut inquit Apoſtolus, minus adhuc poſſumus velle; plus enim eſt velle, quam cogitare, cum minime deſint quam multi, qui cogitent quidem bonum, illud vero minime velint. Minus adhuc bonum ex nobiſmetipſis operari poſſumus, quam illud velle, & cogitare poſſimus; plures enim illud & cogitant, & volunt, qui minime operantur. Igitur gratia Dei nobis eſt neceſſaria ut bonum, ſaltem meritorium, velimus, & operemur.

Gratia magis indigemus eo, in quo ſumus, ſtatu, quam in ſtatu innocentiæ.

Gratia hęc in ipſo etiam innocentiæ ſtatu erat homini neceſſaria; rationalis enim creatura, licet perfecta ſit, ſemper ſupernaturali eget auxilio, ut eum merito bonum operetur. Modo vero major neceſſitas adeſt in ſtatu naturę corruptę. Niſi peccaſſet homo, cognoviſſet ea quęcumque neceſſaria ſunt ad bene agendum, neque caro tantopere contra ſpiritum rebellaſſet: Nunc vero ſępe neſcit quid ſibi amandum ſit, & ſępe id amat, quod amandum non eſt; numquam enim peccatur, niſi vel ex boni ignorantia, vel ex mali concupiſcentia, quæ duæ ſunt peccatorum omnium in terris origines. Requiritur ergo medicinalis Salvatoris gratia multo validior, ac fortior, quam in naturæ noſtræ integritate, altera contra tenebras ignorantiæ, altera contra pondus concupiſcentiæ, ut ſuave id fiat, quod erat amarum; altera ad perſuadendum, altera vero ad hoc, ut perſuaſioni cedamus; altera ad veritatem oſtendendam, altera ad eamdem ſequendam; altera ad docendam legem, altera ad illam adimplendam; altera ad diaboli verſutias dignoſcendas, altera ad illas vitandas. Quod ita verum eſt, ut pro fidei articulo habendum ſit, non poſſe nos ex nobis ſine peculiari divinę gratię ſubſidio unam bonam cogitationem fovere, neque unum pietatis opus abſolvere, neque uni tentationi reſiſtere, neque cum merito, ut opus eſt, unicum pręceptum ſervare.

Duæ contrariæ hæreſes de gratiæ neceſſitate.

Hac in re duo evitandi ſunt ſcopuli, & diligentiſſime cavendum, ne in alterutram hęreſim impingamus; quarum altera eſt Pelagianorum aſſerentium, hominem ex propriis viribus, & ſine interioris gratiæ ſubſidio bonum facere; & unice induſtria, & labore ſuo virtutem acquirere; ideoque eidem deberi gloriam eorum omnium, quęcumque bona operaretur. Altera hęreſis contraria eſt affirmantium voluntatem noſtram non aliud efficere, niſi recipere id, quod in ea Deus ponit, & hunc unum eſſe, qui omne opus bonum operatur, quin in eo partem ullam nobiſmet vendicare poſſimus: quem errorem Synodus Tridentina damnavit. Nec deſunt alii, qui dicunt, voluntatem quidem noſtram cum gratia ad agendum concurrere, ſed illam nihil mereri magis, quam inanimatum inſtrumentum, quod a principali agente movetur; quæ opinio bonarum actionum auferens merita, nihilo eſt ſuperiore probatior. Eccleſia Catholica utrumque fugiens extremum docet impiam eſſe bonorum operum noſtrorum gloriam æquali-

ter

ter cum Deo velle partiri ; ſed negari nequaquam poſſe , quin Sacræ Scripturæ adverſemur , merita bonorum operum , quæ facimus gratię cooperantes .

Prohibere non poſſumus, ne Deus ſuam nobis gratiam impartiat ; huic tamen gratiæ reſiſtere poſſumus,

Notandum eſt, prævenientem gratiam , quoad primum ejuſdem effectum , a libertate noſtra nequaquam pendere, eamque in bonis eſſe ſine nobis : videlicet Deum ita animæ noſtræ loqui , ut anima illum neceſſario audiat ; ita ſpiritum illuminare , ut ſpiritus neceſſario videat, ita cor allicere, ut cor neceſſario illecebras ſentiat , unde fit ut anima ita vocata , illuminata , illecta ſe vocatam, illuminatam , illectamque eſſe ignorare non poſſit. Verum ſi primus, & formalis gratiæ prævenientis effectus neceſſarius eſt ; ſecundus , pro quo datur, exempli gratia, actus amoris Dei, vel alicujus præcepti obſervantia, ita liber eſt, ut anima per gratiam excitata eidem reſiſtere poſſit , ut Tridentina Synodus loquitur : *Poteſt eam abjicere*; poteſt fruſtrari gratiam eo fine , ad quem tendit ; præcipuum illius effectum poteſt inhibere. Hoc ſtatutum jam eſt, & Eccleſia inter fidei articulos adſcribendum cenſuit ; & ideo ſi animæ viſio neceſſaria eſt, perſuaſio eſt libera ; ſi illecebra a libero arbitrio noſtro non pendet ; pendet tamen cordis noſtri conſenſus eidem illecebræ.

Decrevit Deus quaſcumque gratias ſingulis conceſſurus eſt.

Poſt Sanctos Patres docent Theologi , Deum infinitis Sapientiæ ſuæ luminibus ab æterno prævidiſſe gratias omnes, quas hominibus concedere poterat, & mox decreviſſe eas omnes, quas illis eſſet largiturus, non ſolum quoad ſubſtantiam, verum etiam quoad modum. Perfectum enim regimen petit, ut qui jubet, non ſolum generatim , ſed ſingillatim etiam regat negotia, namque ex ſingularibus hiſce rebus vulgo bonus, vel malus rerum gerendarum pendet eventus. Ita decrevit Deus tempus, locum, occaſionem, in quibus gratias ſuas eſt collaturus, ac ſimul videt occaſiones , momenta, ſitum, in quo eſt anima, ut illas recipiat , & novit illam certiſſime aſſenſuram , quod gratiæ congruitatem vocant Theologi. Hoc liquido conſtat, ſcire Deum gratias ſuas ita temperare, eaſque accommodare diſpoſitionibus eorum, quibus tribuuntur, ut cum peccatorem convertere cupit numquam ſuo fruſtretur effectu , & gratiæ ipſius certiſſime finem ſuum conſequantur.

Quid de gratia credendum , & cogitandum , ut hac in re ſimus orthodoxi.

Scriptura , Sancti Patres, qui ejuſdem Interpretes ſunt, & deinde Concilia perfecte docuerunt, quid ſit nobis credendum in hoc adeo neceſſario de gratia articulo, qui excivit, & hodierna quoque die ciet tot graviſſimas contentiones. Quin penitiora hujus argumenti adyta penetremus, hæc ſunt, quæ credere debemus, & quibus tamquam ſolidis fundamentis poſſumus inniti. 1. Neminem ſine Jeſu Chriſti gratia ſalvum eſſe poſſe, & Jeſum Chriſtum, ut hanc omnibus mereretur , pro omnibus mortuum fuiſſe: hunc illam cui voluerit, & ubi voluerit, tamquam ſupremum donorum ſuorum arbitrum, dominumque conferre ; ſed hanc nemini denegare, quocumque in vitæ hujus ſtatu inveniatur ; quod omnino eſt neceſſarium ad ſalutem operandam ; quamvis prima, atque poſtrema gratia non pendeant a nobis, ſed ex mera Dei liberalitate procedant. 2. Perſuaſum eſſe debet tantum abeſſe, per gratiam nobis libertatem auferri, quod e contra per illam perficitur, & quo magis eidem obtemperamus, eo nos eſſe liberiores ; addendum tamen eſt corruptam libertatem noſtram reſiſtere poſſe huic gratiæ, & de hac ſancta libertate in veram nefariamque licentiam prolabi . 3. Liquido conſtat voluntatem noſtram ad nos quidem perdendos nimis validam, juſtificandos vero nimis infirmam, ex ſe ſola quodvis malorum genus efficere poſſe, non poſſe tamen vel minimum operari bonum, quod Cœleſtem gloriam mereatur. Verum etiam citra errorem dubitari non poteſt ; hanc voluntatem, ubi gratiæ auxilium adfuerit, plurimum juſtificationi noſtræ conferre poſſe, & cum hæc gratia, quæ numquam eſt defutura , nobis conatus omnes exerendos eſſe, & cum eadem laboremus . 4. Nullam nobis adeſſe conquerendi cauſam, gratias, quas Deus impertit, ut convertamur, & ad perfectionem progrediamur, vel nimis eſſe imbecillas, vel non ideo nobis conferri , ut effectum hunc conſequantur ; nulla enim gratia eſt, quæ ſufficiens non ſit ; & improbitas noſtra illas efficit inefficaces ; & ſi re ipſa infirmæ ſunt, exiguo hoc auxilio ea facere debemus, quæ pro virili poſſumus, quod quidem fortiores promerebitur, quas ſemper a Deo petere poſſumus, juxta illa Sancti Auguſtini verba: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.*

Quomodo intelligendum ſit ; Deo gratiam numquam denegari iis , qui faciunt, quod poſſunt.

Hæc propoſitio, toties diſcuſſa, & adhuc a Theologis quibuſdam in dubium vocata, quaſi Semipelagianiſmum redoleret, nullam amplius difficultatem inveniet, ſi ita a concionatoribus explicetur ; Deum numquam negare gratiam ſuam illi qui facit quod poteſt ; videlicet illi qui facit quod poteſt, & debet, atque libertate ſua a Dei gratia preventa ſeſe alteri gratiæ diſponit ; hoc eſt, qui actuali adjutus auxilio ſuam voluntatem permovente, & actuali huic gratiæ cooperatus ſeſe præparat ad recipiendam habitualem, a qua juſtificetur ; hoc eſt, qui per peccatorum ſuorum dolorem, quem in ipſo gratia præveniens producit, ſeſe ad veniam recipiendam diſponit ; hoc eſt, qui per fidem inchoatam, quæ Dei donum eſt, ſeſe fidei perfectæ preparat ; facit quod poteſt, & petit, quod nondum facere poteſt : hoc eſt denique , cum Deus neminem ſine ſufficienti relinquat auxilio ad ſalutem ſuam operandam , ille qui cum hoc auxilio id fecerit, quod potuerit, certiſſime obtinebit gratiam faciendi reliqua, quæ ad ſalutem aſſequendam ſunt neceſſaria .

In quo gratiæ efficacia conſiſtat.

Nemo Catholicus dubitat, ad Deum nos ire non poſſe citra peculiarem gratiæ attrahentis motum ; tamen Concionator docere non debet, quid gratiæ virtutem hanc conferat nos attrahendi , & quid illam efficacem efficiat ; ſed integram Scholis quæſtionem hanc relinquat, tandiu, atque tanto cum ardore agitatam. Seu enim efficax gratia, illa videlicet, quæ certiſſime ſuum aſſequetur effectum , pro quo data eſt, per ſe, naturamque ſuam efficax ſit, quod difficile conciliari poteſt cum libero arbitrio, quod numquam eſt imminuendum , ſeu efficax appelletur propter voluntatis conſenſum , quem præſupponit, ſeu efficacem , atque victricem hanc poteſtatem percipiat ex voluptate, quæ illam concomitatur, & ex quadam illecebra, ex qua cognoſcit Deus futurum ut cor ſe libere dedat, quemadmodum pluribus in locis Sanctus Auguſtinus ait ; ſeu denique hoc proficiſcatur ex quadam congruitate hujus gratię tali tempore, talibuſque circumſtantiis traditæ, in quibus cognoſcit Deus, illam effectu ſuo non carituram . Parum intereſt Auditoris, dummodo illi perſuaſum ſit de triplici hac veritate, quæ in dubinm vocari non poteſt , Prima eſt, nullam eſſe gratiam adeo fortem, quæ conſentiendi neceſſitatem imponat. Altera ; nullam adeo infirmam eſſe, ut cum ea converti minime valeamus, ſeu mediate, ſeu immediate ; nobis aditus aperiente ad alias impetrandas gratias, quæ effectu ſuo non deſtituentur. Tertia ; non debere hominem gratiæ, ſed ſuæ improbitati, ac rebellioni vitio vertere quod non convertatur ad Deum ; plurimi enim ſeſe dediderunt gratiis longe infirmioribus, quam quas accepit ; quemadmodum viciſſim alii fortioribus, atque validioribus reſtiterunt : atque hoc in ſenſu, dici poteſt quęlibet gratia efficax eſſe, & effectum ſuum producere poſſe, niſi prohibeatur a nobis ; ſed illam non producere, niſi nobiſcum, atque dependenter a noſtra voluntate.

Pluribus modis gratiæ reſiſtimus. *Eccli. 5.*

Poteſt homo multifariam gratiam rejicere : 1. Formali, explicitaque voluntate, Deo dicens, nihil facere volo, ut pertinax ille Pharao: *Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam*. Altera reſiſtendi ratio non eſt adeo inurbana ; formalis non eſt, ſed negativa, eaque pluribus modis fieri poteſt. 1. Simplici omiſſione. Gratia dicit ; alienum hoc bonum reſtituendum eſt ; ego vero non dico, nolo reſtituere ; ſed illud retinere pergo , & gratia, quę tranſitoria eſt, evaneſcit, neque amplius inſpirat . 2. Cum ſanctam animo meo ſubeuntem cogitationem deflecto, atque mentem meam rebus aliis addico ; interim abeunte gratia. 3. Cum eum vitæ ſtatum amplector, qui ſimul conciliari non poteſt cum eo ſtatu, ad quem me gratia vocat. Deus me ad Regularem ſtatum accerſit, ego vero conjugalem amplector, tunc enim gratiæ vocationis hujus adverſor.

Quomodo ſalutem noſtram in periculum adducimus gratiis Dei reſiſtentes.

Eſto quidem, repulſa inſpirationum, quæ nobis tribuuntur, ut ea, quæ de præcepto ſunt exequamur, vel ut a vetitis actionibus abſtineamus, non ſit grave peccatum ab illo diſtinctum , quod patramus, cum hujuſmodi inſpirationes negligimus, atque contemnimus : nulla enim peculiaris eſt virtus, cui hujuſmodi repulſa opponatur : Eſto minus adhuc peccatum ſit inſpirationes rejicere, quibus ad bona excitamur opera, & quæ non imponunt neceſſitatem præcepti , ſed tantum optimi conſilii utilitatem. Certum nihilominus eſt , a nobis Deo reddendam eſſe rationem harum gratiarum , atque ex illis faciendum eſſe judicium , niſi punitionis , ſaltem juſtificationis, quo Providentiæ ſuæ œconomiam probabit oſtendens , afflatus ſuos nobis non defuiſſe, ac per illum non ſtetiſſe, quominus ſalutem adipiſceremur. Itaque licet Cœleſtibus inſpirationibus inobedientia, peculiaris noxa non ſit ; ille tamen talem habent nexum cum ordine , quem inſtituit Deus, ut nos ad Cœlum adduceret, ut earum nonnullæ ſaltem tales ſint , ut ſi illas contemnamus, ſalus noſtra in diſcrimen vocetur.

De menſura gratiarū ſingulis deſtinatarum,

Conſtans eſt in Scripturis Veritas , Dei gratias nobis tribui in numero, pondere , & menſura, ideoque numerum earum eſſe conſtitutum. Novit ille , quænam ſit poſtrema illa, quam nobis eſt largiturus, non ſecus ac novit quot periodos obiturus ſit ſol, & quot aquæ guttæ in terram ſint delapſuræ. Hinc fit , ut cum hæ gratiæ intra certum numerum contineantur , exhauriantur, & conſumantur prout plura committuntur peccata , pluteſque gratiæ abjiciuntur. Modus tamen aliquis , ac temperamentum afferendum eſt huic propoſitioni, quæ ſanæ Theologiæ videtur oppoſita , docenti , Deum numquam in hac vita ſceleſtiſſimos etiam peccatores ita deſerere , ut ſubinde illis aliquam gratiam non tribuat, immo eam, quæ omnino ſufficere poteſt , ut de vitiorum ſuorum cæno homines perditiſſimi emergant. Ut ergo ſimul concilientur hæ ſententiæ , quæ quodammodo ſibimet adverſari videntur , dicendum eſt , finitum hunc numerum , conſtitutamque menſuram intelligendam eſſe de gratiis vehementibus, fortibuſque, quibus cor rapitur ; non autem de communibus, quæ omnino ſunt neceſſariæ ne illorum calamitas omni careat medicina. Sed quota eſt hæc fortium, ac potentium gratiarum menſura , & quotus eſt peccatorum numerus, quæ in nobis pati decrevit Deus ? Hoc utique arcanum eſt nemini pervium. Dicere tantum poſſumus generatim pro aliis quidem majorem eſſe , minorem pro aliis ; Deum aliquibus poſt primam repulſam , primumque mortale peccatum ſuas gratias ſubtrahere , alios vero ita non deſeri niſi poſt decimam, centeſimamve noxam, quippe hoc a Dei pendet voluntate ; & numerus hic in judiciorum Dei latet abyſſo.

Quid gratia vocari debeat , & Dei dona quæ hoc nomine appellantur,

Quamvis gratiæ, favoreſque appellandi ſint, quidquid a Deo proficiſcitur ; attamen beneficia omnia, quæ ab illo recipimus, proprie , & eo, in quo iſtic accipimus, ſenſu , gratia non dicitur. Sed hæc lumina , & cognitiones, quas Deus nobis tribuit , abſque eo quod illas quæramus , bonæ cogitationes de vitio vitando , vel exercenda virtute ; Sancti motus in voluntate noſtra , per quos converſioni noſtræ aſſentimur , antequam eam obtineamus gratiam, quæ juſtificationem noſtram conſtituit ; divinæ motiones , quæ cor noſtrum concutiunt , eumque cogunt pœnitentiam amplecti, ac vitium deteſtari , hæc omnia vocantur actuales , & ſupernaturales gratiæ ; quia ſunt totidem ſubſidia naturę noſtrę collata, ejus vim excedentia, & quæ nullis aſſequi ipſa poteſt meritis, quæ de condigno, ut loquuntur Theologi , vel æquitatis titulo Deum cogant, hæc nobis auxilia tribuere , ut in ſalutis via primum gradum efficiamus.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, Recentioribuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Varii modi, quibus agit gratia in converſione peccatorum,

GRatia in peccatoribus convertendis non eadem ſemper utitur arte. Modo fit tamquam radius vivus, & efficax, qui de Patris luminum ſinu egreſſus, illuſtrat, percellit , proſternit , rapit illos , in quos fertur ; modo claritas eſt moderatior ſuum habens progreſſum , ac ſucceſſionem , quæ de victoria aliquandiu videtur contendere cum denſis nubibus, quas diſſipare conatur ; neque ſuperare poſſe niſi poſtquam millies vis facta, totieſque repulſa ambiguum fecerit, utrius tandem certaminis honos futurus eſſet. Modo eſt Deus fortis , uno ictu cedros Libani evertens , modo Deus patiens cum ſervo ſuo Jacob luctans, eumque ſinens aliquantiſper de ſitu ſuo ambigere, ut interim illum in eam inducat viam , ad quam ipſum invitat. Ita, o Deus, tamquam cordium Dominus operaris. *Sermo de Samaritana muliere, qui P. Maſſillon eſſe perhibetur.*

Gratia ipſis etiam affectibus noſtris utitur, ut cor noſtrum flectat.

Primus gratiæ greſſus : Deus improbam , rebellemque debellaturus animam, quæ ſuæ converſioni adverſatur , affectu ejuſdem utitur ; eamque in iis etiam locis perturbat , ubi illa voluptatum fontem invenerat . Saulus furens Damaſcum petit Eccleſiam perſecuturus , & in eadem via proſtratus in Apoſtolum commutatur. Centurio Calvarium aſcendit præſidio futurus carnificibus , qui Jeſum Chriſtum ultimo erant affecturi ſupplicio ; ſed cœleſti percitus radio ipſum vere Dei Filium eſſe profitetur. Anima quotidie ſtimulis utitur , ac dolorem invenit ibi etiam, ubi ſolatia , & voluptates ſe putabat inventuram. Illam gratia præſtolatur , ut ita dicam in exitu viarum , quibus hæc ad ſua fertur flagitia ; iræ , perfidiæ , amaritudines , ærumnæ , aliaque id genus totidem ſunt divinę ictus miſericordię , & peccator ſępe juſtitię theſauros nanciſcitur , ubi æternę calamitatis ſuę cauſas quęrebat. *Idem*.

Per gratiam maximos etiam obices ſuperamus.

Gratia , ubi vult , de maximis quibuslibet impedimentis triumphat ; hec enim cœleſtis unctio, ubi vult , dolores ipſos nobis in conſolationes convertit ; itaut per gratiam hanc, quod antea nobis erat in deliciis felle ipſo amarius fiat , & quod preſentiſſimum virus erat fiat nobis manna abſcondita nos ſimul nutriens, atque confirmans. Spiritus Dei , ubi ipſi placuerit, homines maxime infirmos in novos, potentes, forteſque convertit , qui in periculoſiſſimis etiam occaſionibus fideles, in apertiſſimis periculis firmi , & inconcuſſi inveniuntur , & quos exempla ipſa efficaciſſima incorruptibiles probant : ut verbo me expediam gratia fortior , quam natura , quoslibet ſuperat obices, ſuaviter , ac ſine vi omnia ad ſe attrahit corda, quæ convertere cupit. *Idem*.

Fallax prætextus deeſſe nobis gratiam ut convertamur.

At enim, deeſt mihi gratia ? Heu ! quomodo illam tibi deeſſe noſti , cum ne unum quidem pedem efferre conatus fueris , ut ex erroribus tuis emergeres , & ad Deum tuum reverteris ? Si poſt ſinceros reditus millies ſub improbitatum tuarum pondere concidiſſes, fortaſſe jure diceres, in conatibus tuis Dei præſidio fuiſſe deſtitutum ; ſed cum in ſceleribus tuis tranquillus ne pedem quidem proferre ſtudeas , ne minimum quidem conatum exeras, ut e lapſu conſurgas, & revertaris ad Deum ; næ injuſtus es, ſi te a Deo derelinqui , & gratiam illius tibi deeſſe conquereris . Tot aculeati ſtimuli , qui jam pridem laniant conſcientiam tuam , quin ulla re eos placere valeas, nonne totidem gratiæ ſunt, quas Deus tibi largitur ? Hæ curæ , ſollicitudines , mœrores , ſcrupuli , qui ne momento quidem te vexare ceſſarunt , ex quo Deum tuum reliquiſti , & quorum ſatis fuiſſent ſinguli , ut te ad officium revocarent ; omnes ſimul impetum fecerunt in te , veluti rupem nihil ſentientem , & nihilo ſecius , quereris adhuc tibi gratiam deeſſe ? Heu ! quid facis, quid conaris ut iſtam gratiam obtineas ? Oraſne in ſinceritate cordis tui ? Humiliterne , atque enixe hanc flagitas gratiam ? Abſtineſne ab iis omnibus , quæ prohibere poſſunt , ne animam tuam ingrediatur ? Quid ergo ? Putaſne , te inerte , & otioſo gratiam ex ſe ſola converſionis tuæ opus eſſe abſoluturam ? Id ſi feceris , diu adhuc tibi deerit gratia , at non ideo jure conqueri potes illam tibi deeſſe. Nulla hora eſt , nullum fere momentum , quo , ſi attendas , illam ſentire non poſſis. *Idem*.

Gratia lenit labores in Dei ſervitio ferendos.

Si tibi diſplicet vitæ mutatio , & devotio terret te , ſi eam capeſſere non audes , tibi ea reddam , quæ Salvator Samaritanæ reſpondit : *Si ſcires donum Dei !* Eheu ! ſi ſcires quam unctionem ſuper vias pœnitentiæ effundat Deus ; ſi noſſes , quanta ſit animæ pœnitentis dulcedo , profecto non diceres jugum Domini triſte eſſe, & oneroſum . Gratia, quæ olim fuit Martyrum robur, nonne hodie Fidelium vis eſſe poſſet ? Si ſcires donum Dei ; fortaſſe illud expeteres. *Idem*.

Perperam nonnumquam in Dei gratia confidimus.

Spero (inquies) futurum ut affectuum meorum ignis tandem ſenio abſumptus defervescat ; atque per ætatem extincto eo furore, quo ad malum impellor, gratiæ divinæ mihi jubar effulgeat, quo a terrenis hiſce voluptatibus avulſus cœleſtia ſapere incipiam : at licet hujus gratiæ interim te pigeat, quia oppoſita eſt voluptatibus, quas conſectaris, ad illam jus aliquod te habere putas, & pro ea promerenda nihil aggrederis ; omnes conatus tuos in hujuſmodi votis conſtituens non laboras, ut illam aſſequaris, neque ut ex ea fructum capias, quamvis illam fueris aſſecutus. *Idem*.

Pretium & excellentia gratiæ.

Gratia antonomaſtice donum Dei eſt : hæc infinite omnia naturæ ſuperat dona ; hæc eſt unicum glo-

BIBLIOTECA CENTRAL

gloriæ noſtræ principium; ſine hac nihil poſſumus, cum hac omnia. Hæc donum eſt cœlitus datum, ac immediate a Patre luminum deſcendens, nos convertens, ac in alios homines mutans; per hanc ſumus, quidquid ſumus, ut inquit Apoſtolus, ſi tamen aliquid coram Deo ſumus: *Gratia Dei ſum id, quod ſum.* (1. ad Cor. 15.) Attamen, mirum! hoc ipſum donum craſſa ignorantia non cognoſcimus, & non ferenda ingratitudine quotidie fruſtra recipimus. Heus! quid prodeſt illius meritum, & magnitudinem aſſequi, ſi omnibus ferme vitæ momentis eodem abutimur? Hac de cauſa Salvator Samaritanam allocutus mulierem exprobrat illi ignorantiam: *Si ſcires donum Dei! P. Bourdalove in Sermonibus, qui ſub ejus nomine circumferuntur. Sermone de Samaritana.*

Quomodo ſe nobis accommodet gratia.

Gratia de nobis relatura triumphum, ſeſe ut ita dicam ſubjicit nobis; abſit verbo invidia, nihil enim derogat gratiæ dignitati; ſeſe ſubjicit nobis eo uſque, ut Dei patientiam fatiget, ac nos integros annos præſtoletur, quin libertati noſtræ vim faciat. Hæc locum, tempus, & commodam captat occaſionem, ut nos lucretur; ipſa prior nos prævertit, & tantum abeſt, aliquid ipſum vi a nobis extorquere, quod immo precibus, blandiſque promiſſionibus utitur: ipſa ſe noſtris denique ſubmittit infirmitatibus; noſtro ſe accommodat temperamento, & ſi efficit, ut cœleſtia quidem bona magno, terrena autem parvo faciamus; tunc efficit, cum ſexcentis experimentis eorum quidem ſoliditatem, horum vero fragilitatem nobis probavit. *Idem.*

Pretium, & nobilitas gratiæ, ac diſtinctio, quæ ab eadem fit.

In gratia autem admirari poſſumus cum illius pretium, & nobilitatem, tum eam diſtinctionem incomprehenſibilem, quam vel illa facit, vel Deo per illam facere placet. Pretium ejus tantum eſt, ut unicus gratiæ gradus pluris faciendus ſit, quam omnia naturæ bona; ipſe eſt Sanguinis Jeſu Chriſti fructus, & quidam jure ait, gratiam Dei ipſius pretio æſtimari, quandoquidem per eamdem in ſtatum adducimur æternæ Dei poſſeſſionis acquirendæ. Diſtinctio autem, quam inter homines facit, vel per illam facit Deus, non eſt minori digna admiratione. Ex duobus hominibus Deus alterum per gratiam ſuam eligit, relinquit alterum. Ex duobus peccatoribus alteri converſionis gratiam largitur, gratiam videlicet efficacem, alteri negat. Quorſum iſtud diſcrimen? Ne conemur, Fratres, impenetrabile ſecretum ſcrutari; namque in errorem labemur, Sancto Auguſtino monente: *Quam trahat noli dijudicare, ſi non vis errare.* Gratia interior eſt Spiritus Sancti motus; ſed ubi, quando, quoties, quomodo, & quibus regulis divinus hic Spiritus operatur? Equidem nihil ſcio, & cum Apoſtolo exclamare tantummodo poſſum; O abyſſus! O profunditas! O altitudo! *P. Girouſt, Sermone de ſubtractione gratiarum.*

Gratia peccati illecebras aufert.

Nihil præter gratiam infringere illud facinus poteſt, quod peccatum animæ parit. Cum enim in mente magnas illas excitat ideas Dei juſti, Dei ultoris, mortis reproborum, judicii ſine miſericordia, ſententiæ ſuæ provocatione, infeliciſſimæ æternitatis peccatum cum illecebris ſuis nos fallere nequit; illius virus detegitur, funeſti ejuſdem effectus dignoſcuntur; horror, terrorque inceſſit, atque ſancta formidine trepidantes ad medicinam confugimus, atque ex eo ſtatu emergere feſtinamus, cujus improbitatem, horroremque cognoſcimus. Sed ubi non loquitur amplius gratia, cum non amplius agit, tunc ea ſolum in peccato ſpectantur, quæ nobis blanda, & jucunda videntur. *Idem.*

Cum Dei gratia reſpuimus, tunc Deus illas aufert a nobis, noſque relinquit.

Si gratiæ fideles extiteritis, omnes Divinæ bonitatis theſauri vobis patebunt, ſed cum luminibus ejuſdem rebelles Deum laceſſere perrexeritis, cum licet ille ſuis beneficiis vos in officio continere ſtuduerit, ultro, ac ex vobiſmetipſis ab eo diſceſſeritis; cum, quamvis ille vos prævertere, atque ad ſe revocare ſatagerit, vos in pertinaciſſima obſtinatione mordicus perſiſtentes obſtruxeritis aures monitis, quæ vel per ſe vel per alios ſuggerit vobis, ſinentes illum integros annos agere, & loqui, quin illi reſpondeatis: quæ umquam vobis tunc erit occaſio conquerendi, ſi ille tandem ſuam vobis gratiam ſubtraxerit, ſi toties a vobis contemptus vos viciſſim contempſerit, ſi poſtquam contra illum toties voſmet induraſtis, ipſe quoque in vos ſe inexorabilem præbuerit? Nonne hac eadem ratione, & vos contra amicos veſtros utimini, qui vos aliquando relinquunt? *Idem.*

Deus ſuas amovet gratias, cum illas inutiles efficimus.

Deus non ſolum propter ſcelera, & nequitias noſtras a nobis ſuas amovet gratias; ſed plerumque hoc ipſum facit, quia iiſdem, uti oportet, non utimur. Cur enim vobis Deus ad agendum ſubſidia præbeat, cum jugiter otiari velitis? Nonne Dei gratias abjicit, & polluit, qui eas in illum non adhibet uſum, ad quem deſtinantur? ... Audite hac de re Prophetam Iſaiam, vel potius Deum ipſum per os illius ita loquentem: Quid eſt, quod potui facere vineæ meæ, & non feci? Sepibus, ac maceria circumdederam illam, nulliſque ſumptibus peperceram, ut eamdem excolerem. Cœlum, jubente me, imbribus illam rigaverat; quid poſt hæc poteram expectare? Sed nihil in illa inveni ex iis, quæ me collecturum ſperaveram. Hæc igitur non erit amplius vinea mea; evertam muros, quibus illam circumundique communiveram: *Diruam maceriam ejus.* Imperabo, ut non ſeratur ultra, & prohibebo, ne ſuper illam ros decidat: *Non putabitur, & non fodietur: Nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.* Patebit illa omnibus prætereuntibus, *& erit in direptionem.* Quæ omnes figuratæ ſunt loquendi rationes indigitantes quomodo agat Deus cum illis, qui ſuis abutuntur gratiis, eaſque inutiles reddunt. *Idem.*

De gratiarum Dei ſubſtitutione.

Aliqua in domo, ubi natu major occumbit, natu minori locum facit; & in domo Patris cœleſtis in ordine ſupernali aliorum reprobatio ſalutem aliorum conſtituit. Quomodo hoc? per gratiarum ſubſtitutionem. Eſther in locum Reginæ Vaſthi fuit ſubſtituta; David ad Saulis ſolium evectus fuit; & Apoſtolatum a Juda amiſſum S. Mathia accepit. In hac autem gratiæ ſubſtitutione non ſolum juſtitiam ſuam Deus exercet in illis, quos loco movet, verum etiam illius ſimul ſapientia, & miſericordia elucet in illis, quos ſuis muneribus cumulat .... Ita etiam ſuam exercet juſtitiam. Judæi, natio incredula! gens olim Deo adeo chara vos illum abjeciſtis; vos ille abjecit. Vos illius filii eratis, & hæredes regni ipſius; olim in Judæa tantum, & a vobis agnoſcebatur; vobis ille dederat de cœlo mannam, qua veſceremini, & vos primum extruxeratis Templum in honorem illius. Felices ſi frui noviſſetis gratia ejuſdem, atque tantum illud boni, quod poſſidebatis, tueri. Sed obliti eſtis Dominum Deum veſtrum, fuiſtis rebelles gratiæ illius, & ipſe vos dereliquit. Ubi nunc altaria veſtra, ubi propitiatoria? Ubi victimæ, & preces veſtræ? Heu! ubi vos eſtis? Errones, vagi, in omnibus terrarum plagis diſperſi, neque domum certam habetis, nec Synagogam, nec Templum. Ex populo adeo frequenti nihil ferme ſupereſt præter nomen; quale vero nomen? quæ ignominiæ nota huic nomini inuſta eſt? quis illud non perhorreſcit? Reprobans Deus ſceleſtiſſimam gentem, recentem ſibi populum ſuſcitavit, quem ſibi adoptavit, atque ſanctificavit. *Idem.*

Fallax eorum prætextus quâ dicunt ſe expectare gratiam ut convertantur.

Quis prohibet, ne Deum ſequamini? quis vos ab illius ſervitute deterret? At enim gratiam præſtolor, inquies, expecto felix illud momentum, quod mea vincula infringat. Quid autem? Veritates, quæ tibi quotidie annuntiantur, nonne ſunt gratiæ Dei? Quæſo quid eſt gratia? Lumen ſane in intellectu, & ardor in voluntate .... Gratiam expectas; dicere audes, hanc tibi deeſſe poſt eos ſenſus, quos per os Concionatorum Deus tibi toties inſpirat? audes blaſphemiis laceſſere providentiam aſſerentem, ſe quidem velle, te vero nolle converſionem tuam: *Quoties volui, & noluiſti?* (Matth. 23.) At fortiorem gratiam expectas: videlicet Deo invitanti inſultas; non ſatis te urget; atque infirmis hiſce ſollicitationibus te non dedis. Parum eſt quod te quærat, ingrate? Vis etiam illi modum præſcribere, quo te quærere debeat. Fortiores gratias ſperas, numquid levioribus obſurdeſcere ratio eſt validiores aſſequendi? Quibus gratiis olim afficiebaris? Hodie te non movent amplius. Mors inopinata, ærumna gravis, amici perfidia, dolor, exemplum pœnitentiæ, dum primis adoleſcentiæ ardoribus æſtuabas, te ad mentem, officiumque revocabant; hodie vero te nihil percellit; & gratiam expectas? Quæ illuſio? At quam gratiam expectas? eam, quæ ſola tuæ converſionis opus abſolvat? Quæ inſania! ullane eſt gratia, quantumcumque potens ea ſit, cujus effectus ab hominis cooperatione non pendeat? Donec autem expectas, nihil agit voluntas tua; igitur donec expectas, impoſſibilis eſt converſio tua. Sed victricem gratiam expectas quæ te rapiat, cujus illecebra, & ſuavitas te ad bonum trahat ſine tumultu, ſine certamine, ſine difficultate: aliud inſaniæ genus. Cor non mutat repente objectum, & ſtudia quin ſibi vim faciat. Fortis armatus, qui cor tuum poſſidet, gratiæ aditum intercludere adnititur; nonniſi difficillime ſe patitur expelli, vi debet vinci,

præliiſque debellari. De virtute ad vitium tranſitus non eſt adeo facilis; multo labore faciendus eſt: procella debet malaciam præcedere; gratia laborem imminuit quidem, non aufert. *P. Cheminais Sermone de Magdalenæ pœnitentia.*

Obtemperandum eſt voci Domini per gratiam vocantis.

Rubore ſuffundamur, fideles, ac nobiſmetipſis moras, cunctationeſque noſtras exprobremus; Noſmet humiliemus coram Domino, & ad miſericordiam illius confugiamus; poſtquam pluribus annis illum prope nos languentem paſſi ſumus, ne dimittamus illum, quin eidem ſatisfaciamus. Aperiamus illi cordis aures: noſtræ hoc ſalutis intereſt. Dei Vox, Verbum Dei caro factum fuit humanæ ſalutis initium; & interior vox gratiæ Dei neceſſarium eſt adminiculum ad opus hoc perficiendum. Igitur aurem non adhibere gratiæ loquenti, atque petenti, idem eſt, ac ſalutem in apertum diſcrimen adducere, ac certiſſimum pereundi periculum ſubire. Deus enim vobiſcum aget, quomodo vos cum illo; eademque vos menſura, qua vos cum illo uſi eritis, metietur. Vocat, nec reſpondetis, petit, neque illum audire videmini, urget, ſollicitat; neque ceditis. Nunc id accidit, quod vultis, mox accidet viciſſim, quod ipſe volet; illum rogabitis, nec reſpondebit; orabitis, nec ſe flecti ſinet; brachia ad illum tendetis, neque oculos ad vos convertere dignabitur; voſmet illi ſupplices ſtatuetis; ſed avertet faciem ſuam, ne vos videat, & ne videatur a vobis. *P. Girouſt in Quadrageſima Sermone de gratia.*

Neceſſe eſt, ut gratia nos præveniat, & excitet.

Niſi peccatorem excitaverit Deus ea gratia, quam ideo Patres excitantem appellant, ipſe numquam evigilabit. Niſi Deus illum ea gratia præverterit, quam ideo Patres prævenientem vocant, ne pedem quidem proferet, ut revertatur ad Deum. Ego quidem ex me a Deo diſcedere valeo, ſed ego ex me fovere nequeo cogitationem, & cupiditatem ad eum redeundi. Cum enim mihi nullæ ſint niſi vires naturales, quomodo propriis viribus ad ſupernaturalem actum me attollere poſſum? Ego neque ipſum Deum in auxilium accerſere valeo: opus eſt, inquit Propheta, ut Deus non rogatus, neque ſollicitatus per miſericordiam perſequatur eum, qui ab eo fugit per improbitatem: opus eſt, ut Paſtor quærat oves, quæ ultro deerraverunt: *Erravi ſicut ovis, quæ periit; quære ſervum tuum.* (Pſal. 118.) Et ut apertius loquar; opus eſt, ut per gratiam ſuam Deus animo noſtro primam bonam ingerat cogitationem, & in corde noſtro primum bonum excitet motum. Quanta porro Dei bonitas eſt, quanta Miſericordia, qui in homine, & in homine nequam prior hæc operatur; effundens in mentem illius adeo clara lumina, quorum ope peccati ſui fœditatem, ſtatus ſui periculum, Dei minitantis iram, ac rationem illius deliniendæ cognoſcat; & in corde interiores excitans motus, qui per illum impellant, ac trahant modo adeo ſecreto ſimul, apertoque, adeo ſuavi ſimul, & forti.

Deus eligit tempus aptum, quo ſuas gratias impertiat, & multifariâ loquitur.

Quoties Deus ardenti ſalutis noſtræ deſiderio actus te allocutus eſt? quoties te prævenit? Ad id autem opportunum tempus elegit, tempus ſolitudinis, & receſſus, tempus pacis, & quietis, cum mentem habens ab omnibus humanis negotiis expeditam, illius vocem melius audire, eique poteras reſpondere. Quot perſonas induit, ut ſeſe tibi offerret? Modo occurrit velut minitabundus Judex, modo tamquam ſollicitus amicus, modo cum toto ſuæ majeſtatis fulgore, uti Deus, modo facie hilari, ſerenaque veluti pater. Sub pedibus tuis tibi inferni flammas oſtendit, ut te deterreret; ſuper caput tuum Cœlum aperuit, ut inflammaret; circum te fulmina ſtrepere juſſit, ut tibi metum incuteret. Effecit etiam ut pœne invito ſanctiſſimæ, ac ſolidiſſimæ tibi ſubirent cogitationes de mundi, ejuſque bonorum fragilitate, de tempore, & æternitate, deque tui ſtatus periculo. Ex penitioribus animæ tuæ penetralibus tibi, ut olim Samaritanæ, dixit; *Ego ſum, qui loquor tecum*; ego te voco, ego Dominus, & Salvator tuus: *P. Girouſt. Serm. de Gratia.*

Dei exprobrationes ejuſdem argumenti.

Deus tibi ſæpe, ut olim infideli Jeroſolymæ, dixit: *Fornicata es cum amatoribus multis.* (Jerem. 3.) Anima ingrata, anima impudica, fidem mihi debitam perfregiſti: temet millies inordinatis cupiditatibus tuis tradidiſti, ac me prophanis idolis poſthabuiſti. Attamen revertere; adhuc tempus eſt; hodie te Deus miſericordiæ alloquitur; at veniet dies, nec procul abeſt, quo Deus erit juſtitiæ, & quo detonabit. Denique non ſatis illi fuit, ipſum ad te loqui; verum etiam per miniſtros ſuos, per ſacros Prœcones, homineſque doctos, quos ſuo zelo ſuccendit, te eſt allocutus; nihilque intentatum reliquit. O inæſtimabilem Dei indulgentiam, quam jure Sanctus Paulus, *nimiam charitatem; divitias bonitatis; ſupereminentem charitatem* vocavit. (Epheſ. 2. Rom. 2. Epheſ. 3.) Ubi eſt gratitudo tua? Ubi amor tuus? *Idem.*

Suprema gratiæ in animum poteſtas.

Cum Deus per gratiam animæ alicujus factus eſt dominus; illam, quocumque vult, impellit; eam, ut ipſi lubet, dirigit; illi dominatur, & ſolus dominatur. Quid jam ille minitatur, vel quid non minitatur; quid pollicetur, vel quid non pollicetur; jubeat, ſatis eſt; nihil grave, & operoſum videtur, dummodo illi pareatur. Nulla amplius opus eſt arte, ut ſe inſinuet; nihil enim omnipotenti illius gratiæ reſiſtit. Non ſe gerit amplius tamquam amicum, vel Judicem, vel Patrem; ſed tamquam Dominum, & Deum. Quotieſcumque animæ ſecreto hanc voculam intonat; volo; nihil intentatum relinquitur, quidquid cum patientia ſuffertur, ardenter laboratur. S. Paulus afflatus fulmine, atque in terram proſtratus non alios ſenſus habet, quam perfectæ divinis mandatis obedientiæ: *Domine*, exclamat ille, *quid me vis facere?* (Actor. 9.) Nihil excipit, nihil peculiariter ſignat, ſe ſubjicit imperio gratiæ, hujus intereſt imperare; quodcumque iſta jubeat, ille nullo obice prohibet. *Idem.*

Deus ſuis gratiis ſollicitat, & petit.

Cum loquitur Deus, tamquam Vindex, vox illius confringit cedros, quatit montes, ac ipſa terræ concutit fundamenta: *Vox Domini confringentis cedros, vox Domini concutientis deſertum.* (Pſal. 28.) Sed cum loquitur tamquam Salvator, bonitas, & charitas illum aſſumere cogit ſupplicis vocem, & formam; hortatur, urget, petit, obteſtatur: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo.* (Apoc. 3.) Verbo, orationem ſuam caute inſtituit, ſuaviter deducit, ac libertati noſtræ ita parcit, ut ne minimam quidem illi vim velit inferre: *Cum magna reverentia diſponit nos.* Tamquam ſpontaneum munus flagitat, quod tamquam tributum, debitumque poteſt exigere. Attamen hæc vox interior, adeo ſuavis, & lenis frigide, & cum contemptu excipitur. Nonne hoc eſt Deo injuriam afferre? Hoc ſane illud eſt, de quo ſæpe per Prophetas conqueritur. Jeremiæ præcipit, ut hæc exprobret populo ſuo: *Audi popule ſtulte, qui non habes cor; qui habentes oculos non videtis, & aures, & non auditis.* (Jerem. 5.) Quid igitur cum tibi occurro, cum te alloquor, cum tibi meam voluntatem aperio, non obedies? *P. Texier in Dominicali Domin. 5. Quadrag.*

Unica hominis libertas fines, terminoſque Dei bonitati, & poteſtati conſtituit.

Quin gratiam tuam, o Deus, victricem appellem, qualis reipſa eſt, ubi vis; dicere audeo, hominum nequitiam, & improbitatem referre triumphum de bonitate tua, ac fines circumſcribere poteſtati gratiæ hujus; quippe ſola rebellium voluntas obicem ſtatuit conſiliis, quæ de illis iniiſti, & quæ, niſi illi adverſarentur, tua gratia exequeretur. Qua in re hominis voluntas eo audaciæ evaſiſſe videtur, ut in rebellione ſua id Deo dicat, quod mari Deus, ſecundum illa Jobi verba? *Huc uſque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* (Jobi 38.) Infinitus, atque vehemens divinæ bonitatis pelagus, intumeſce, ut lubet, & gratiarum tuarum inundationem affer; verum opus eſt, ut cum ad rebellis hominis cor acceſſeris, cujus libertas terminos tibi conſtituit, ibi detumeſcas, atque ſubſidas. O portentum! Cum hinc quidem divini cordis bonitatem, & gratiæ ipſius vim, & poteſtatem perpendimus, inde vero humani cordis humilitatem, atque imbecillitatem; videre in duorum horum cordium, divini ſcilicet, & humani certamine, infirmum, inconſtans, & contemptibile victoriam referre de fortiſſimo, & omnipotenti, atque illud hujus conatus irritos facere, atque ut ita dicam infringere. *Excerptum partim ex P. Texier, partim ex Manuſcripto Sermone.*

Gratia ſollicitat peccatorem, ut ex ſtatus ſui infelicitate emergat; & quænam ſit ingratitudo huic gratiæ reſiſtere.

Deus videt animam in vitiorum cœno alter demerſam, eamque de infelici hoc ſtatu, qui Chriſtiano homine indignus eſt, contendit educere; ille huic bonam ingerit cogitationem vanitatis, & fragilitatis inanium, fluxorumque bonorum, quæ inquirit; commovet cor illius, atque eorum nauſeam immittens, dicit illi: Nonne vides inanes has voluptates, quæ tot ſollicitudinibus, curiſque appetuntur; ubi iiſdem fruaris, nihil te niſi pudorem, ac pœnitentiam manere? Attolle pauliſper mentem tuam ad me, qui unus totum cor tuum replere poſſum ... Quid autem velle poteſt Deus, eum animæ ſuos mittit Legatos, Concionatores videlicet, qui eamdem obteſtentur, ut de ſe cogitent, ut vitæ ſuæ nequitiam reputent, ut infelicem recogitent æternitatem, quo illam brevi via ſuæ iniquitatis adducat

BIBLIOTECA CENTRAL